EPICEDIUM CANTABRIGIENSE

In Sereniſſimum Daniæ Principem

GEORGIUM,

Auguſtiſſimæ Reginæ

ANNÆ

CONJUGEM,

Per Univerſam Regni Britannici

DITIONEM

REI NAVALIS ac MARITIMÆ

PRÆFECTUM,

&c.

CANTABRIGIÆ,

TYPIS ACADEMICIS.

MDCCVIII.

BELGICUM

Augustissimæ Reginæ

ANNÆ

CONJUGEM,

Per Universum Regni Britannici

DITIONEM

REI NAVALIS AC MARITIMÆ

PRÆFECTUM.

&c.

MDCCVIII.

AD
REGINAM.

CARMINE quis, Regina, tuum lenire dolorem
Poſſit, quem verbis pingere nemo poteſt?
Solvere Connubiis Adamantina Vincula Veris
Major, quam dubiis lubrica fila, labor;
Amittunt aliæ comitem, Tu ſola Maritum;
Ni potius fas ſit dicere, Semideum,
Quem genus, Heroum ductum de ſanguine, ſanxit,
Et Tibi divino fœdere junxit Amor.

At benè conveniunt in eodem Corde, ſeverum
Armorum Studium, mitis & iſte *Calor*;
Celſam quàm vivax acuit Fiducia Mentem,
Inclyta in æternum *Scania* teſtis erit;
Irruit intrepidus denſata per Arma, per Ignes,
Et Fratrem è mediis hoſtibus eripuit;
Si laus tanta fuit civem ſervare, cadentem
In tuto Regem ponere quantus Honos?
Notus, *Boina*, Tibi eſt, Claſſis veſtræque, *Britanni*,
Solus hic in terris Fulmina certa regit.

EPICEDIUM

Morum temperie Majeſtas ſparſa refulget,
Pellucent Mentis Candor & Integritas;
Auguſtum poterat ſibi devincire Senatum,
Toti nec populo gratior alter erat;
Ipſe Pudicitiæ Flos illibatus in Unam
Te ſpirat flammas uſtus amore ſuas;
Imbelles alios animos vagus Ardor amores
Diſtrahit in plures, Totus at Ille Tuus.

Æquus Amor ſimiles affectus excitat in Te,
Totaque Penelope ſemper es Ipſa ſua;
Seu ſors arridet, ſeu non, Te ſemper eiſdem
Affixam ſtudiis exitus ipſe probat;
Languenti, quæ prima fuit Tibi cura, tuliſti
Soliciti medicam plena timoris opem;
Inſomnis precibus lentas nocteſque dieſque
Ducis, ut accurrat Numen in auxilium;
Aſſiduo incumbens operi nunc Ipſa miniſtras
Pocula ſorbenti, nunc alimenta paras;
Nunc gemebunda torum luſtras, & Pectus & Artus
Torpenteſque Manus mulcet amica manus;
Mox ſtatuæ ſimilis lateri morientis adhæres,
Efflantiſque Tuam dimidiatam Animam.

Occidit.

Occidit. Immenſi Tua pars eſt maxima damni;
Cur autem Totus ſit dolor iſte Tuus?
Cur toties Oculos, toties cur Tempora, pulchro
Cur toties gelidas comprimis ore Genas?
Fruſtrà cur revocas, nec vis moribunda revelli?
Cur luctu & lacrymis ſemiſepulta jaces?
Parce, precor, partem nobis concede Doloris;
Qui nos corripuit nec dolor unus adeſt;
Plangimus abreptum, quin Te magis inde dolemus,
Unà, jam nimius, ne Dolor abriperet;
Nos Timor ac Dolor excruciant, ac fortiùs urgent,
Quod Morti Ille Tuus cedere neſcit Amor.

Collige diſperſos animos; En Numen amicum
Hac voluit levius reddere Vulnus ope;
Te tempeſtivos, Victoria, ritè Triumphos
Ut celebres, toties nunc iterata vocat;
Auguſtis Umbris Defuncti ſæpe parentat
Millibus exciſis hoſtibus una dies;
MARLBURIUS *Videt*, &, vibrans Tua Fulmina, *Vincit*;
Sive Dolos, ſeu Vim, neſcit ab hoſte pati;
Contremuêre Duces; Iſtis victricibus Armis
Flandria ſe ſubdit, *Gallia* tota patet;

EPICEDIUM

Hoc Duce nil metuas, Bello vel Pace; reponas
Illius in fido Pectore mentis onus.
Magniloquus ſubitò *Lodovicus* Sceptra videbit,
Gallica Fœmineam poſſe tenere manum.

JOANNES COVEL, S.T.P.
Coll. Chriſti Cantab. Cuſtos,
PROCANCELLARIUS.

Ad MARLBURII *Ducem.*

SUMME Ducum, cum ſis *Sociatis* & Manus, & Mens,
Et Cor, & Ratio, Vitaque Militiæ,
Dixiſſent Veteres, è cœlis huc Tibi lapſo
Symbola, quemque ſuum, contribuiſſe Deos;
Splendida Majeſtas donum eſt *Jovis Altitonantis*;
Æs triplex, imo in Pectore, *Martis* opus;
Ingenium *Phœbi*; Prudentia ſumma *Minervæ*;
Atque Ori veneres addidit Ipſa *Venus*.
At majora canam; *Stygiis* non merſus in undis,
Prævaleas Veri Numinis Auſpiciis.
Macte Tuis, nullo exemplo, Dux Inclyte, factis;
Non Te Immortalem fingimus, Ipſe facis.

Scripſit *Anno* 1706.

Idem JOANNES COVEL, *C. C. C. C.*
Nunc PROCANCELLARIUS.

Ad

CANTABRIGIENSE.

Ad REGINAM.

DUM Proceres complent pullatam queſtibus Aulam,
Atque ſuos miſcent planctibus, ANNA, tuis;
Ipſa audis, quæ vera *Meus* ſuſpiria ducit,
Ipſa vides lacrimas, queis rigat ora *Pater*.
Nec tamen interea, docuit quæ *Camus* Alumnum,
Reſpue; nec tenuis quæ Tibi Muſa dabit.
Illa quidem afflictæ neſcit ſolatia menti
Ferre, minor luctu cum ruat Ipſa ſuo.
Impar Illa Tui digne celebrare Mariti
Virtutem, aut juſtis facta referre modis:
Non valet infracti deſcribere vulnera *Sueci*,
Et bis ab horrendis rapta Tropæa *Getis*:
Non callet *Danos* ſervato Fratre Triumphos
Pingere; vel Laurus, quas dat *Iërna*, novas:
Sceptra nequit memorare piè contenta *Polonûm*;
ANNA, Tuo ut poſſit dignior eſſe Toro.
Hæc eſt Materies divinis æqua Poetis,
Queis Os alta canit, queis Lyra magna ſonat.
Non ea Vis teneræ nec tanta Superbia Muſæ;
Nec didicit fauſtos virgo referre toros:
Quod potuit, Lacrimas offert, ſociaſque querelas,
Rapto primitias, officioſa, Duci.
Has precor accipias, devotaque pectora, *Natum*
Reſpiciens illo, quo prius ore *Patrem*.

Gulielmus Pierrepont, Comes de *Kingſton*,
Nobiliſſimi Marchionis de *Dorcheſter* Filius Unicus,
ex Coll. Trinitatis.

NUMINA cur fruſtra tenues in vota vocamus?
Nos erimus curæ credula turba Deis?
Non illos precibus, non juſtis ANNA querelis,
Non potuit lacrimis ANNA movere ſuis.
Illa ſuâ, Fatum en! victâ pietate triumphans
En! caſum triſtem, en! funera acerba videt.
Non illi prodeſt cumulata Eccleſia donis,
Templaque divitiis ſplendidiora novis.
Sceptra nihil proſunt à magno tradita Fratre,
Geſta pari ſemper pectore, mente, fide.

EPICEDIUM

Non orbis terræ ſalvus, magnique Tyranni
Fœmineâ proſunt tela retuſa manu.
Hos violare auſa eſt Fortunæ injuria mores,
Hos carptos, ne non omnia carpat, habet.
Ergo, Quæ noſtris lucem & ſolatia rebus
Præbebas, lacrymis obruta, merſa, jaces!
Quam nullæ curæ, nulli vicêre labores,
Magna pio Princeps victa dolore cadis!
Non vultum placidum, non ora Serena Senatus
Aſpicit, eloquium non bibit aure tuum.
Sic non te, *Phœbe*, actorum ſine fine laborum
Pœnituit, *Phaëton* dum tibi ſalvus erat;
Strenuus ignivomos agitabas arte caballos;
Spargebas curru lumina læta tuo:
Sed quando *Altitonans* compeſcuit ignibus ignes,
Tinxit & *Eridano* Filius ora tuus;
Iſſe Diem ſine Sole ferunt, & merſa tenebris
Ignifero caruit ſqualida Terra Deo.

Carr. Hervey, Aul. Clar.
Honoratiſſimi Domini *Johannis Hervey* Baronis
de *Ickworth* Filius natu Maximus.

Ad REGINAM.

Dum, Princeps, veſtris felix *Marlburius* armis
Militat, atque acies diſſipat uſque novas;
Participem rapuit Thalami inclementia Fati:
Sic Superi lætos dantque negantque dies.
Utramque experiens fortunam, oſtendito Mente
Poſſe æquâ te jam Vincere, poſſe pati.

Car. Maynard, Chriſti Coll.
Honoratiſſ. Dom. *Banaſteri Maynard* Baronis
de *Eſtaines* Filius Natu Quintus.

Musicus *Eurydicen* citharâ revocavit ab Orco,
Dum premit argutâ fila ſonora manu;
Ut *Plutona Orpheus*, ſic *Orphea* vicerit Anna,
Carmine non poterit, ſed pietate valet:

Victrix

CANTABRIGIENSE.

Victrix ANNA Sibi non præmia magna precatur,
Sint modò Dii faciles, triſte levatur onus.

Algern. Coote, Trin. Coll.
Filius Natu Minimus Comitis de *Montrath*.

Τί΄ΠΤΕ νέον τόδε πῆμα, τί δὴ κλέος ἔς᾽ ἀνὰ ἄϛυ;
Οὐ μὰ μοι ϖρωτέροισι πόλις πεφρύαχλο ϑειάμβοις,
Οὐ Νίκης ἠδεῖα βοὴ, ϖολέμοιό τ᾽ ἀϋτὴ,
Ὀλλύντων τὲ, ϰ᾽ ὀλλυμένων ὅμαδος πέλεν ἀνδρῶν·
Οὐδ᾽ ἔτι Μαρλβόριός οἱ ὀφειλομένην λάχε νίκην.
Ἀλλὰ γόος, ϰ᾽ ὀδυρμὸς ἐγίνελο, ϖολλὸν ἄλαϛος,
Δάκρυα, ϰ᾽ χαίτης τιλμὸς, ϰ᾽ λυγμὸς ἀεικὴς,
Καὶ ϛοναχὴ, ἐ ϑρῆνος ἀπείρων, ἄϖτελά τ᾽ ἄλγεα.
Αὐτὴ δ᾽ ΄ΑΝΝΗ ἄναϛα μέγα ϛένε· ἀμφὶ ἓ λαοὶ
Κωκυτῷ τ᾽ εἴχοντο, ϰ᾽ οἰμωγῇ ϰ᾽ ἄϛυ·
Οὐ μείζων ϑεός ἦεν ἐτήτυμον· ἠύτε τοπεὶν
Εὔπυργον Λονδῖνον ἄφαρ πυεὶ πᾶϛα δεδήει.
Γιγνώϛκω, ϕεγνέω· τὰ ϑεῶν μήνιμα χθόνιος·
΄Αρχων Δανὸς ὄλωλεν, ΄Ανάϛης ἀγλαοφήμου
Ἀνὴρ ἠπόϑυμος, ὁμοῖος ἀϑανάτοισι,
Πασάων ἀρείων ταμιήιον, ἔξοχον ἄλλων,
Καρλεϊ ϰ᾽ βυλῇ πεπυκασμένος, εἰς ἄκρον ἠδύς,
Εὐγνώμων, φιλόμυϑος, ὑϖείροχος ἐν δαὶ λυγρῇ.
Ἀλλά ἑ νῦν εἶλεν Θάνατος ἐ Μοῖρα κραταιή·
΄ΑΝΝΗ ϛῇ γοόωϛα· ϖερὶ ϛενάχοντο ἓ λαοί·
Καὶ τάφον Ἀονίδες μελανείμονες ἀμφεπένοντο,
Ἀμφότερον Δανοῖο χάριν, ϰ᾽ ἀμύμονος ΄ΑΝΝΗΣ.

Hen. James, S. T. Profeſ. Reg.
& Coll. *Regin.* Præſ.

ERGO nigris ſqualent induta Palatia Peplis,
Lugubremque parat mœſta *Camena* Chelyn?
Nubes atra Diem pulchrum, Pæanaque lætum
Claudit flebilibus Nenia miſta modis?
Sic pro more breves vertit *Libitina* Triumphos,
Caſtigatque recens gaudia rupta dolor.

EPICEDIUM

Non ſatis illuſtres Animas deflêſſe, WILHELMUM,
Teque, Tuæ ſurgens Gentis IULE, decus:
Non ſatis ANNAM orbam toties doluiſſe Parentem,
Ni ſimul & viduum defleat orba Torum.
At nos *Cæſareæ* ſperavimus, Optime Princeps,
Te reparaturum damna priora Domûs;
Prole beaturum, quæ vultu animoque referret
ASCANIUM Puerum, NASSOVIUMque Ducem:
Sic tamen, heu? Prole implendam ſperantibus, Aulam
Qnàm propè nunc vacuam fecit acerba dies!
Unica jam reſtas; jam Te pendemus ab unâ
ANNA, Decus populi Deliciæque Tui:
Amplius at nimiis nec ademtum queſtibus urge,
Nec notet Auguſtas lacryma crebra genas;
Etſi olim tangant vel magnas triſtia Divas
Fata, tamen fatis ſuccubuiſſe nefas:
Reſpice ſolicitam Veſtro de vulnere Gentem;
Ah Tua ne nimio vita dolore labet!
Quo Puerum Mater, Fratrem Soror, Uxor & olim
Conjugem, amore Tuos *Brittonas* ANNA fove.

Car. Roderick, S. T. P. Coll. Regal. Præpoſit.

I. *Ad REGINAM.*

ACCIPE communis ſolatia publica luctus,
ANNA, nec alloquiis dulcibus obde fores.
Namque ut *Marlburii* percuſſit nuntius aures,
Dum tibi per *Flandras* fulminat enſe plagas;
Oppetiiſſe tuæ, REGINA, Animæque Torique
Participem, ac morbo ſuccubuiſſe gravi:
NON, ait, ardentem lacrimis reſtinguere curam
Nunc opus, aut querulis perdere verba modis.
Pro lacrimis, refluant hoſtili ſanguine rivi:
Pro queſtu, reboent tympana mixta tubis.
DIXIT: & attoniti dira formidine Galli
Bruxellis trepidæ terga dedere fugæ:
Objectoque alii tentantes flumine Martem
De *Scaldi* in Stygias præcipitantur aquas.

Ad

II. *Allocutio ad* SEPULCHRUM.

DELUBRA Regum, priſca Manium domus,
Suprema *Britonum* Principum palatia,
Horrore dio plena, plena numine;
Laxate clauſtra, ferreoſque liminis
Reſerate poſtes: GEORGII Magni ſacer
Portatur ad vos lugubri pompa Cinis,
Uxoris ANNÆ atque ANGLIÆ lacrimis madens.
Eheu! quis hoſtis *Gallus*, aut quis impiæ
Romæ tyrannus coccinatus, non tuo
Dolore doleat, ANNA, non flenti affleat?
Huic ô quietas intimis Penetralibus
Parate ſedes; qua (nefas) tot Liberûm
Jacent acerbo rapta fato corpora:
Præſertim ubi uſque vere perpetuo virens
Cari GLOVERNI floret urna. Hic ponite;
Hic pæne redeat vivus oſſibus calor,
Senſuque tacito pulvis ipſe gaudeat.

III. *Ad Nobiliſſimum* CAROLUM *Halifaxiæ Baronem.*

CAROLE, ſi tibi adhuc Collegî cura vetuſti;
Quod tamen aſſidue naſcitur, uſque novum;
Si placuit noſtro nitidus jam pumice Flaccus;
Quodque ſibi vates dixerat, *uſque recens*;
Gratia ſi veteris tibi pectore vivit amici:
Unam fer multis officioſus opem.
Sume, precor, citharam nimium nimiumque tacentem;
Verbaque cum plectro fortia junge gravi:
Effer, age, Heroem, ſtellantique inſere Olympo:
Dircæuſque iterum nubila tranet olor.
Nos etenim viles, corvi picæque, poetæ
Vix pennas madida (turpe) levamus humo.

Ri. Bentley, S. T. P. Coll. Sanct. Trin. Magiſter.

EPICEDIUM

In GEORGIUM *Principem.*

EHEU! *Vandalicæ* Princeps *Gothicæque* Juventæ
Quem virgo in Thalamum adſciverat ANNA ſuum.
Quos planctus Sacræ viduæ cunctiſque *Britannis*
Fecere Exequiæ, Chare Marite, tuæ?
Plorat Regina, atratique incedimus omnes,
Cùm tamen à Caſtris omnia fauſta ſonant.
Aptavere tubas *Tritones*, Nauta Celeuſma;
Sed cuſtode maris cuncta ſilente ſilent.
Teſtari ſolitus populus ſua gaudia flammis
Principis extincti mallet adeſſe rogo.
Sympoſiis haud indulgent, neque nox crepat ultrà
Fictitiis quorum bellicus uſus erat.
Victores viciſſe foris vix credere poſſunt,
Dum damnum recolunt quale tulere domi.
Tu vero altâ in pace quieſcis paris amator,
Anglus in exemplum geſta quieta trahat.

C. Wright, S. T. P. Prof. Arab.

Ad REGINAM, de Principis Obitu.

NAVARCHUS Princeps, pelagi moderamine functus,
Jam Nautis, clavo valedicens, emicat Aſtrum;
Ignaris ſervare fidem, *Cynoſura* perennis.
Juſtitiæ in cultum, Sphærâ reſplendet adauctâ,
Infidis lucens, tenebrarum regna ſequutis.
Aſtræa, *Libræque*, & *Daci* lumine ductus,
Per nimbos meat in tuto, per ſaxa, per ignes.
Jam *Britones* ſocii, jam quidquid in orbe *Britanno*
Pridem diviſo, *Navarchi* funere plorant.
Deciduâ flentum pluviâ, nunc æſtuat ultro
Oceanus frendens, Roſtrum omne remugit in alto,
Syrtibus occurrit delirans prora revulſis,
Carbaſa per medias undas ſuſpiria tendunt,
Obruta ceu fletu renovato *Tantalis* icta,
Quæque novas rupes minitatur flebilis ora.
Tu miſeras *REGINA* tuas compeſce querelas!
Rorantes niveo detergas pollice guttas!

In

CANTABRIGIENSE.

In diri caſus ſolamen, tundere *Gallos*
Pergas, heu nimium pectus percuſſa decorum!
Affectus animi ſuperes, rabidumque dolorem,
Hoſtibus à binis, palmas ut prima reportes,
Ignotas nuribus, quas bello maſcula dextra
Incaſſum toties petiit: tua tempora laurus
Sic duplices primum cingent, quas fœmina nunquam
Geſſit, & heroum nullus per ſecula lapſa.

N. Vincent, S. T. P. Aul. Clar. Præſ.

Ad REGINAM.

DUM memor extinctum recolis Pietate Maritum,
Et ſortem Illius flemus &, ANNA, tuam.
Te ſequimur mœſti comites, Sociique doloris;
Quæ Te cura premit, Nos geminata manet.
Vulnera noſtra ſatis; tua nè ſint addita noſtris,
Et Tibi ſi nequeas parcere, parce Tuis.
Pone pios gemitus, funeſtos comprime luctus;
Sit dolor ille brevis, qui Tibi tantus erat.
Muſa tuiſque ſuiſque malis onerata filebit;
Quæque loqui dederat Cauſa, tacere dabit.

V. Stubbe, S. T. P. Coll. Trin. VM^r.

LUGUBRES paulum, Dea, ne graveris
Nenias triſti ſociare plectro;
Dic modis pangam quibus inquieti
Pectoris æſtus.
Lubricæ paſſim variæque cæco
Sortis Humana arbitrio rotantur,
Et repentino rapidoque ſemper
Turbine nutant.
Ne quid immortale jubet putemus
Dira Mors, telis metuenda certis;
Hanc ab æterno ſtatuere legem
Ferrea fata.

EPICEDIUM

Ergon' æquali pede Mors proterva
Pulſat anguſtas tuguri latebras,
Et domus tectum *Jovis* æmulantes
Vertice celſo?
Nil movent dotes animi cruentam?
Stemmatum fulgor tibi ſordet atræ?
Nil movent duram *Tyrio* nitentes
Murice veſtes?
Nec moram in Terris pietas ferendo
Sufficit, cœlis oriunda virtus?
Neminem Mors eximiumne habebit
Neſcia flecti?

Fata ſic volvunt; Nec enim, GEORGI,
Ulla venalem modo Lex caducam
Fecerat vitam, Tibi lugeatur
Lumine caſſo;
Quin recurrentes numerante dexrrâ
Labiles annos, aquilæ ſenectam
Lætus egiſſes; neque tabuiſſet
ANNA dolore,
Fata dum plorat viduata chari
Conjugis; ſiccis oculis Quis ANNAM
Lacrymis largè videat profuſis
Ora rigantem?
Ergò ne æternis animum minorem,
Alma ſpes noſtrûm! crucia querelis;
Marcido tandem populi miſerta
Parce dolori.

Nec pias ſedes placido marito
Invide; cœlum repetat beatus,
Et ſui divos meliore viſat
Parte ſuperſtes.
(Læta præſagit mihi mens futura)
Lucidum cœli decus Ipſe clarum
Sydus ornabit, propiore nobis
Lumine fulgens;
Quoſque ei *Parcæ*, ſatis, heu! malignæ
Dempſerint annos, tibi fœneratos
(Quod ratum faxint Superi precamur)
ANNA, rependant.

Johan. Exton, LL. D. Coll. ſive Aulæ Trin. Soc.

FOE-

FOEDERE quæ ſtabili *Scotos* conjunxit & *Anglos*,
Et cœptum toties ANNA peregit opus;
Quæ plures fuſo celebravit ab hoſte triumphos,
Natales regni quam videt iſſe ſui:
Illa, ſuis quæ nunc feliciter adſerit armis
Europæ quidquid cingit utrumque latus,
ANNA tori ſocium leto ſibi mœret ademtum,
Et thalami queritur frigida regna ſui.
Sic etiam ſummos feriunt vaga fulmina montes,
Et tangunt celſos triſtia fata thronos.
Anglia, quæ triplici cinctam diademate frontem
E medio victrix exſeris *Oceano*,
Contege cæruleos ferali veſte capillos,
Percute lugubri pectora mœſta manu.
Ille, tuam thalamo ſibi qui ſociaverat ANNAM,
Quem thalami ſocium legerat ANNA ſui:
Ille tuas pelago ſolitus dimittere claſſes,
Laurigera ducens roſtra *Britanna* manu,
GEORGIUS in mediis vitæ, heu dolor! occidit annis;
Fataliſque ſecat ſtamina *Parca* coli.
Illum etiam *Oceani Nymphæ* flevere ſub antris,
Qua *Phœbus* radiis luſtrat utrumque mare.
Illum etiam *Tethys* redimat leto omnibus undis,
Imperiique velit fræna tenere ſui.
Vos quoque credibile eſt, *Codani* numina ponti,
In mediis lacrymas non tenuiſſe vadis:
Pulchra ubi de mediis *Zelandia* prominet undis
Inſula, & *Arctois* imperat alta fretis.
Hic illum primo naſcentem exceperat ortu
Purpura, regales teſtificata lares:
Hic pater, hic proavi, ſtirpiſque antiqua propago
Invicta tenuit regia ſceptra manu.
Hafnia turritum caput inter nubila condens,
Hafnia Codani lucida gemma ſali,
Tu quoque præcipue raptum tibi plangis Alumnum,
Nec deceat luctus diſſimulare tuos.
Penè manu tibi ſe tangendam *Scania* præbet,
Pars regni quondam conſpicienda tui:
Scania tunc veſtris, aliis nunc ſubdita ſceptris,
Nec ſine multiplici clade ſubacta tamen.
Illa ſuis quondam juvenem decurrere campis
Vidit, & armatâ ſpargere tela manu.

EPICEDIUM

Egerat in pugnam geminos diſcordia Reges,
  Hoc *Sueonum*, hoc *Danûm* ſtant fera caſtra ſolo.
Hic non conſilio tantum & moderamine rerum,
  Dum rapit in pugnas agmina Frater, adeſt;
Ipſe ſed in pulchris viſendus GEORGIUS armis,
  Cominus ipſe ſuo prælia *Marte* gerit.
Dumque labant acies, dum vix res *Dana* reſiſtit,
  Advolat, & pulſo victor ab hoſte redit.
Sic minor *Atrides* majori ſæpe ferebat,
  Præſentem, *Pollux*, ſic tibi *Caſtor* opem.
Nec minus his animis illum aſpera vidit *Hierne*
  Pugnantem auſpiciis, Rex GULIELME, tuis:
Boyna ſuis ubi tot gemuit correpta ſub undis
  Arma virum, & galeas volvere vorticibus.
At quanto majora toga, paciſque decorus
  Artibus, & miti geſſerat eloquio!
Unica cui ſemper tranquillæ cura quietis,
  Cuique ſalus populi ſumma ſalutis erat.
Sed quid Reginæ luctus renovamus acerbos?
  Funditur extincto carmen inane rogo.
Omnibus ANNA malis indeclinata reſiſtit,
  Altius humanis extulit illa caput.
Hoſtibus e victis ſolatia fortia quærens
  Illorum capiti funera dira parat.
Fallor? an horribiles efflat tuba bellica cantus,
  Acrius & ſolito claſſica pulſa ſonant?
Buſta iterum in *Flandris* cumulantur *Gallica* campis,
  Verſalias ipſas *Inſula* capta quatit.
Disjectas acies *Scaldis*, fractaſque cohortes
  Præcipiti vidit terga dediſſe fuga.
Nunc juvat in tabulis pictos percurrere mundos,
  Noſcere quæ *Flandri* ſit poſitura ſoli;
Cernere nunc, qua parte fluant *Scaldiſque* *Sabiſque*,
  Quot fugiens *Gallus* millia currat eques:
Cernere, vincendas porro quæ ducat ad urbes,
  Quæ via *Pariſios* *Anglica* ſigna ferat.
ANNA triumphali lauro lugubria mutat:
  Vix dant figendis vulſa tropæa locum.
Mox olea redimita comas nova munera pacis
  Victrici victis porriget ANNA manu.

Henricus Sike, Coll. Trin. LL. D. & ling. Hebr. Profeſ.

CANTABRIGIENSE.

Ὑπὲρ τ παγκλαύτυ τελυτῆς, ΓΕΩΡΓΙΟΥ, τῦ τ Δανίας ἄρχοντ, τῦ τ χαριεςάτης κ ἀνικήτυ Βασιλίσσης ΑΝΝΗΣ ἀνδρὸς φιλοφιλεςάτυ, τ Μεγάλης Βρεταννίας Ἀρχιστρατήγυ κ Ἀρχιναλάστυ, Κυμβρίας τ χώρας ἡγεμόντ, τῶν τε θυγατεςάτων τ Πεντικελίδος, κ τῦ Ἐλεφαντ ἑταιρειῶν Ἱππέως, κλ.

ΤΟΝ Μόρυν ὠλεσίκοσμον, Ὁμηρίδες εἴπατε Μῦσαι,
Τὸν Μόρυν, ἀθανάτων κεκορυθμένον αὐτῷ,
Τὸν Μόρυν, ἄμμορυν ἐστλῦ, ἐφιέμενον δ' ἀγαθάων
Ψυχάων, μεγάλων κ ἀγαυοτάτων ἀνθρώπων·
Τοσσάκις οἱ Μόρυν αὐτὸν, ἐν αἰνῇ δηϊοτῆτι,
Ἀντίβιον προκάλεσσαν, ἀεὶ σφέων προτὶ φυγόντα,
Ἀμφότερον, ἀννέκυας, διά τ' ἔντεα, κ μέλαν αἷμα,
Ἀμβρότεα, κρυερῶν ἀπερυγόμενα σωμάτοσφι
Τηλεβόλων, κλόνον αἰνὸν ἀφειδήτοιο μενοινῆς.
Ὦρσε ΓΕΩΡΓΙΟΣ ἥτ, ἐνὶ προτέρυις ἐνιαυτοῖς,
Βιομάρυ ἄντα πόληος, ὅτι κλονέεσκε φάλαγγας
Σακέων τε φιλοπολέμων, κλητῶν τ' ἐπικούρων,
Καὶ φίλον αὖθις ἀδελφὸν ὑπ' ἐχθρῶν δυσιάλωτον
Εἰρύσατ', ἔκ τ' ἐσάωσεν ὁμόμενον θανέεσθαι·
Ἔνθα Μόρυν κλονέεσκεν, ὑπερμενέα θαύματα ῥέξας,
Καὶ Φύζαν φυγάδευσε, Φόβον δ' ἐφόβησεν ὀλωόν,
Καὶ Θάνατον θανάτωσε, φανεὶς ἐναείμενος Ἠρως,
Τεύχεσι λαμπομένοις κεκαλυμμένος αὐτοκασίγνητος ὤμυς,
Καὶ δορὶ, κ ξίφεϊ ξυναμπυκόμενος σάκεσι ἀνδρῶν,
Μειλιόων βλοσυροῖσι προσώποισι· φαίνετο δ' ἔργον
Οὐκ ὀνοτὸν, βαρύμοχθον· ὃ κε ῥέα πεφύσεσιν,
Ὅς τ' ἴκ οἶδε Θεὸν, κ κρατερὰ ἔργα Θεοῖο·
Εὖτέ τευ ἀνδρὸς ἐπῶρσε βίην, ἐφόβησε δέ τ' ἐχθρούς.
Τοῖος ἐὼν, τοπάλαι Λιωδνιακῇ προφάνεσκε,
Καὶ Λανσκρωνιακῇ, φοβερὸς κορυθαιόλοις μάχῃσι,
Δεῖμα φέρων ἐχθροῖσι, φόως δ' ἑτάροις κ ὄνειαρ.
Τοῖος ἐὼν, Ἱλερμὸν ἀνάκτορα, Βοινίσιν ὄχθας
Κύδηνεν, ποταμοῖο Ἱερνιακοῦ, ἐπαρήγων,
Ἀμφότερον βυλῇ τε νόῳ, κ κάρτεϊ χειρῶν.
Τῷ γὰρ ἔδωκε σοφὰς περικίδας Θεὸς, αἰθέρι ναίων,
Μύθων τὲ ῥητῆρ' ἔμμεναι, πεπνυμένά τε ἔργων·
Αὐτὸς δ' Εὐρώπην μὲν ὅλην, * πρὶς ἐς λυκάβαντας,

* An. 1667. 1668. 1669.

Ἀμπωλεῖτο, ϗ οἶδε, ϗ ἀνδρῶν ἄκεια φῦλα,
Πολλῶν τ' ἀνθρώπων ἴδεν ἄσεα, ϗ νόον ἔγνω·
Ἀλλ' οὐχ ἥρωϚ τόσον ἀνέρϚ ἐν φρεσὶν ἐΐλαῖς
Εὗαδεν, οὐδ' ἐπάρη', ἕτερϑν μερόπων γϟϚ ἀνδρῶν,
Ὅσον ἀειπρεπέων πολεμήϊα φῦλα Βρεταννῶν.
Τῷ κε Πολωνιάδϑ γαίης Βασιλήϊον εὖχϑ,
Σκῆπτρϑν, ϗ Διάδημα, παρώσατο, δεῖμα Θεοῖα
Πρόφρων Ἀναιδείης νομίσας, ϗ θεσμὰ Λυθῆρϑ·
Καὶ τὰ λάβεν Σοβιεσκὸς, ἄρειϑ, Τυρκοραϊστής.
Ἀλλὰ ΓΕΩΡΓΙΟΣ ὅτϑ ἀγαυῶν φῦλα Βρεαννῶν
Ἴκελο, ϗ μνήσευσε πολυμνήστην βασίλειαν,
ΑΝΝΗΝ παρθενικὴν, Χαρίτων ἄπο κάλλϑ ἔχουσαν,
Γιωνὴν Καρόλοιο, Ἰακώβοιο θύγατρα,
Πλανταγωνιαδέων, Τυδωριαδέων τὲ, ϗ αὐτῷ
Τῶν Στυαρταδέων, βασιλήϊον αἷμα λαχοῦσαν.
Αὐτὴ δ' Ἀγγλιαδέων βασιλῆϊδϑ ἔμμορε τιμῆς,
Ὀψέ περ ἄμμι δ' ἔδωκεν Ἀλήθειάν τε, Σέβας τὲ
Οὐράνιον, Πίστιν τὲ Θεῷ, ϗ δῶρα Θεοῖο
Παντοῖ, Εὐσεβίην τὲ, ϗ Εὐνομίῃ ἐρατεινήν·
Εἰρήνῃ δέ τ' ἔδωκε πανόλβιον, ἀρεσίτεχνον,
Εἰ μὴ Ἄρης κώλυσεν ὁ Φεραγκιός· ἀλλὰ τὸν ἤδη
ΑΝΝΗ ἀπατέρεια, Θεῶν γλύϚ, ἀντιάνειρα
Δῆσέ τε, ϗ νίκησε, κακαῖς δ' ἐδαμάσατο πληγαῖς,
Πολλαῖς εἰνὶ μάχῃσιν· ὅϑ κλέϚ ἔπολ' ὀλεῖται.
Σιὼ λαὸς δ' ἤνωσεν, ἄμ' Ἀγγλιάδας, Σκοτίδας τὲ,
Καμβριάδας, ϗ νῆσον Ἰερνίδα· ϗ μελέθηκεν
Οὔνομα τὸ πρότερϑν· λαὸς δ' ὀνόμηνε Βρεταννὸς
Ξύμπαντας, Μεγάλῳ δ' ἐκάλεσε Βρεταννίδα νῆσον.
Τιὼ Νίκη, χρυσέῃσιν ἀειρομένη πτερύγεσσιν,
ὍλϚ τὲ, Πλῆτός τε βαθὺς, σεφάνωσεν ἀπάντη·
Ἐν δ' ΑΝΝΗ βασίλευε, δαΐφρων, ὀλβιοδαίμων·
Πάντα δέ οἱ ἀρέτησεν· ὅτε Φθόνϑ, αἰνὰ δεδορκὼς,
Ζωλὼ Ξ Δανοῖο ΓΕΩΡΓΙΟΥ Ἀρχιθαλάσσ
Ἔσβεσεν· ὃς βελῇσιν, Ἀναίσης ἀρυμεδόσης
Τὸν ϑρόνον ἐσπείρεν· ἐπηρείῶτο ϑ' λαοί.
Καὶ πόντϗ Βρεταννοῖο φυλάξατο νηυσὶ κελεύθϗς
Πνεύσαις πυρόεντα καθ' ἐχθρῶν πικρὰ βέλεμνα,

Δεινὸν

Δεινὸν ἐπιβρεμέοντα, Διὸς πατρὸς ἶσα κεραυνοῖς.
Ὡς πάντας λυκάβαντας ἐείκοσι πέντε τέθηλεν,
Ἄννης τῆς μεγάλης φιλότητι κεκασμβύρου ἥρως,
Πᾶσι φίλος, πάντας τὲ φιλῶν, κὴ κύδεϊ γαίων·
Καὶ *κλέος ἔχ' Ἐλέφαντος, ἀγακλυτὸς ἱπποκορυστὴς,
Καὶ μεγάλης βασιλῆος, Ἐδωάρδης πεπιτάτοιο,
Ἀμφὶ Περισκελίδος σέφος εἵχετο τῷ ποδὶ λαιῷ,
Εἶκελος ἀθανάτοις, Ἄννηι πεφιλημβύρου ἀνῆς·
Ἀλλά ἑ Μοῖρ' ὀλοὴ, φθονερός τε τὶς ἔκτανε δαίμων.
Ὤλετο, κὴ σωὸλωλεν ἅμ' ἀντιθέῳ φρακοίτῃ
Ἄγγλος Ἄρης, Ζεὺς, Φοῖβος, ἰδὲ κρείων Ἐνοσίχθων·
Ὤλετο μβὴ βίος ἀυτῷ· ἀταὰρ ψυχὴ πεπότηται
Ἀμπόλον ἀσερόεν', ἀγαθῶν ἐς ὁμήγυειν ἀνδρῶν.

* *Eques Nobiliſſ. Ordinum* Periſcelidis, *atque* Elephanti.

Joſua Barnes, S. T. B. *Græcæ* Linguæ Profeſſor *Reg.* Collegg. SS. *Trinit.* & *Emmanuel.*

SACRAM Favillam quisnam oculis poteſt
Spectare ſiccis? pectora plangite,
Quæ dulce *Parnaſſi* cacumen
Altiſonæ, colitis, *Camenæ*;
Ne vos refulgens purpura veſtiat,
Nec labra læto tingite Nectare,
Menſis recumbentes Deorum,
Neve comas redimite lauro;
Sed veſtra triſtis tempora vinciat
Ramus cupreſsûs. Occidit! occidit
Heros ſtupendus, ſive bello
Galligenas quateret catervas,
Seu pace regnum conſiliis ſuis
Augeret, almæ Conjugis aſſidens
Throno ſuperbo, cujus arma
Horret *Iberi*, *Rhodani*que potor.
Parcæ, ſorores lanificæ, quibus
Secare fas eſt ſtamina Principum,
Cur gentis humanæ Parentes
Ante diem rapitis Tyrannos?
En regna, (ſic decernitis) occubant
Uno ſub ictu terna! nec *Heſpero*

Surgente, decedunt dolores,
Nec rapidum fugiente ſolem.
Non tanta ſenſit damna *Britannia*,
Genaſve tantis obruit imbribus,
Cum *Cæſar* invaſit Penates
Mortiferâ metuendus haſtâ,
Alterve Victor, qui *Boadiceæ*
Miſit nepotes ſub juga *Gallica*,
Ferro ſuperbus, *ſive Reges*
Sive inopes premeret colonos.

Reg. Hawkins, Aul. Pemb. Præſ. & Acad. Procurat. ſen.

ERGO ſepulcri dura neceſſitas
Exſpectat omnes! nec prece poſſumus,
Fletuque, virtutiſque cultu
Indomitam ſuperare mortem.
Denſas per urbes, ruraque, per ſacras
Regumque turres improba paſſibus
Fertur Giganteis, & atrum
Diſtribuit ſine lege fatum.
Et jam *Britannis* abripuit ſuis
Magnum (tremiſco dicere) GEORGIUM;
Centumque *Churchilli* Triumphos
Funere contemeravit uno.
Valete longum plauſus & otium,
Valete pompæ, & dulce melos lyræ;
Venêre tecum, Dive Princeps,
Teque abeunte ſimul recedunt.
Cantu quis æquet gaudia temporis,
Noſtras ut olim ſplendidus Advena
Ripas adîſti, Regiique
ANNA Tori ſocium recepit?
Quam turba geſtus & tua lumina,
Vultumque, formamque obſtupuit, rogans
Quis Ille Princeps, unde cretus
Tam ſimilis ſoboli *Stuartûm*?
Quæ non ab illis Auſpiciis bona
Speravit olim læta *Britannia*?
Qualemque de tantis oriri
Conjugiis potuiſſe prolem?

Multos

Multos per annos quæ moderamine
Regnaret æquo; laudis & appetens
Ad arma ceſſantes, ad arma
Angligenûm Juvenes citaret.
At O! Nepotum ſpes ſimul excidit
Tecum GEORGI! nec potuit tibi
Spectata Virtus, ſtirpſve fati
Lethiferum removere vulnus.
Heu triſte vulnus, triſtis & *Albion!*
Heu! Ipſe mœſto funere concidit
Dilectus ÆNEAS, nec ANNÆ
Jam miſeræ ſupereſt IULUS!
At jam ſenectâ *Borbonides* viret,
Audaxque diras in *Britonas* minas
Intentat; illudenſque noſtris
Plebs inimica malis triumphat.
Sed tu caveto, Perfide *Ludovix*,
Ne mox ſacratum *Gallica* Lilia
Ornent ſepulcrum; ne ruaſque
Ipſe *Dani* tumulo piâclum.
Et ſiquid ANNÆ Relligio, Preces,
Et Vota, ſiquid *Marlburii* manus
Invicta poſſit, Fata veſtram
Deteriora Fidem manebunt.
Nec tota collum ſubjiciet tibi
Europa; nec jam longius inſolens
Regnabis, at victus *Britannis*
Eximium tribues Triumphum.

Rob. Dannye, C. C. C. Soc. Procurat. alter.

Damœtas, Corydon.

Dam. CUM rident agri perfuſo lumine cœli,
Cur triſtis mœſtuſque ſedes hîc ſolus in umbrâ?
Tu, qui nos inter paſtores ante ſolebas
Vel cantu, *Corydon*, vel ludo fallere tempus.
Cor. Nuper, *Damœtas*, rediens ex urbe propinquâ
Abſtulit infauſtus mihi vocem animumque *Menalcas*.
Dam. Horreſco; bene nam memini, quod nuncius idem
WILHELMI quondam narravit fata ſuprema,

Dum laudes ejus ſylvas reſonare docebam.
Cor. Ipſe etiam domitas urbes cecini, atque Triumphos
Marlburi & *Eugenii*, ſubitò cum fertur ad aures
Vox priùs haud audita mihi; non tempora, Paſtor,
Lætos hoſce modos ſuadent: ſed flebile carmen;
Reſpexi attonitus, nec quenquam cernere quivi
Unde fluant voces hæ diræ: multa voluto
Mecum animo; tardo tandem venit, ecce, *Menalcas*
Incedens greſſu, verba & lugubria dicit;
Occidit! antiquâ princeps è ſtirpe *Danorum*
Exortus Regum, quo nullus amantior unquam
Angligenûm, cui noſtra fuitque *Britannia* curæ.
Dam. Fiſtula rauca ſonans, & ſtridens omine lævo
Hoc mihi prædixit modulanti carmina feſta,
Quæ recinunt arces captas, terraſque ſubactas
Undis Oceani cinctas, ne fœdera *Romæ*
Germanam lædant Aquilam, dum pluma recreſcit,
Quæ firmis innixa petet mox æthera pennis.
Cor. Tempus erit, quando *Britonas* celebrare licebit
Verſibus alternis fortes, atque inclyta facta
Magnanimûm Heroum, quos nulla pericula terrent.
Carmine nunc autem cineres decoremus agreſti
Principis auguſti, qui vivus dulcia ruris
Otia dilexit, *Saturni* ſec'la beata
Non rediiſſe querens, *Aſtrææ* numen adorans.
Dam. Tam bello clarus Princeps, quàm pace, vigebat:
Ille etenim pariter pietate inſignis, & armis,
Irruit in medios hoſtes, Fratremque redemit
Invictâ dextrâ, captivum, fata ſuorum
Non patiens indigna, docens quid pectora poſſunt
Fortia, quando vocant res magnæ ad prælia dura,
Nec, quod ſola ſuum ſibi *Græcia* jactat *Achillem*.
Cor. Vera canis, paſtor. Comitem quem vidit *Ierne*
NASSAVII Herois, *Brittannia* novit eundem,
Atque accepit ovans redimitum tempora lauro.
Dam. Principis auſpicio quoties ego tutus in altâ
Rupe ſedens placidum vidi mare litora lambens,
Lanigerumque pecus ſecurè gramina carpens;
Non unquam exiliens hoſtili prædo carinâ
Eripuit mihi oves, agnum vel ab ubere matris.
Cor. Illius egregias ſemper memorare juvabit
Virtutes, erit atque dies mihi feſta quotannis,

Quâ pueri vitio intacti, caſtæque puellæ,
Exercere choros, & carmina ludere ſueti,
Vincula conjugii dicent non rupta, fidemque,
Quam dedit illuſtri ſponſæ, uſque ad funera ſanctam.
Tum pietate graves matronæ vota preceſque
Suppliciter fundent; O, qui mortalia curas,
Da, Pater Omnipotens, pueris his atque puellis
Ut, ſi quando ineant Thalamos lucente jugali
Tædâ, contendant ſibi mutuò vivere cari,
Ut mores referant ANNÆ, moreſque Mariti.

Guil. Towers, A. M. Coll. Chriſt. Soc. & Acad. Taxat. Sen.

QUOUSQUE noſtris cladibus inſolens
Urget Triumphos *Parca* inamabiles?
Nunquamne funeſtis voracem
Exequiis ſaturabit *Orcum*?
Decus *Britannûm* dulce GEORGIUS
Heu! lacrymoſo funere concidit;
Nec ſtemma nec ſpectata Virtus
Faucibus eripuêre mortis.
Quam nunc ab illo diſſimilis jacet,
Quem vidit olim *Dania*; cum diu
Lateque victrices catervas
Conſilio Juvenis revicit?
Quis non timeret nè, temerarius
Dum ſtravit hoſtem, dum nimium ſui
Oblitus inſtabat *Süecis*,
Lethiferâ caderet ſagittâ?
Sed nec ſagittâ lethiferâ cadit,
Nec ſævientis militis opprimit
Manus, ſed improviſa mortis
Vis humili poſuit ſepulchro.
Nunc O! *Britanni*, nunc valeant ſales
Blandique luſus, & citharæ melos,
Turbetque pro victore cantu
Angliacas ululatus Urbes.
Heu! jam canoræ nec citharæ melos,
Cantuſve rebus conveniunt tuis
O *Albion*: demerſa in uno
Funere ſpes cecidit *Britannûm*:

EPICEDIUM

Te ſurda votis fata repoſcimus;
Multâ vocamus Te prece, ſed parùm
Audis vocantes; triſtis *Orci*
Quem rigidæ cohibent catenæ.
Sed cur ademtum flemus inaniter!
Non, ſi *trecenis illacrymabilem*
Plutona tauris mulceamus;
Te Patriæque Tuiſque reddet.
Nec ipſe reddi jam Patriæ & Tuis
Velles GEORGI; cum Tibi panditur
Olympus; in cœtuque Divûm
Purpureo bibis *ore Nectar*.

Joan. Perkins, A. M. Coll. Div. Joan. Soc.
& Acad. Taxat. alter.

ΘΡΗΝΟΘΡΙΑΜΒΙΚΟ'Ν.

MANIBUS Auguſtis feralem ducere pompam,
Triſteſque Exequias, ut Præfica, fundere Leſſus,
Illætabile quinetiam diſperdere Carmen,
Granta paras. Quamvis jacturæ plaga recentis
Viſa gravis; dudum at ſolita hæc tibi nænia deſit;
Hinc procul & turpis querimonia funere tanto:
ANNA vetat: quamvis & Victrix Purpura Luget.
Tu quoque defleri ſic nolles Optime Princeps.
Caſtalium Indigenis nec Rhythmis pollue fontem:
Aut modulis quibus, applorans tibi, plangat *Ierne*:
Quos tamen ingeminat tecum *Hafnia* mœſta parentans,
Audin! quoſque illinc Sinui prætenta *Codano*
Concinat haud gens una, ſacris operata *Camenis*;
Artibus & *Graiæ* pariter *Latiæque Minervæ*
Exculta; ad *Viadrum*, *Mœnumque*, *Albimque*, *Viſurgimque*.
Hinc ſimul ora *Caledonio* circumflua ponto;
Helveta; quà *Rhodanus* fluit; & contermina *Rheno*
Quà patet; & tua dum, Princeps, decora alta retentat,
Unà Laurigeros Tibi perſonet, ANNA, Triumphos,
Belgica; jam felix, *Virgo reſoluta Catenis*:
Hinc, inde, exutæ vinclis ſervilibus Urbes,
Ad *Lyſam* & *Scaldim*; & pulſum extra limina *Gallum*
Dicite; *Io*! *Lodoix* immanibus excidit orſis.

Magnum

Magnum opus æquali celebrare ingentia cantu
Totque tropæa Ducum; atque attritum cladibus Hoſtem;
Recluſum pelagus; commercia reddita ponto:
Marlburius pectuſque profundum, & robora dextræ;
Conſilium *Eugenius*, vimque altâ mente repoſtam;
Huc ſimul ANNA Deum votis precibuſque faventem
Contulit. Illapſum cœlo rumore ſecundo
Murmur, ait; "Lætum hinc Lugubri intercine Carmen;
"Congemat, ANNA, Tibi; at recinat *Pæana Britanna*
"Undique Gens Victrix; æterno & fœdere vincta;
"*Granta*; Io! *Lodoix* furialibus excidit auſis.
Succeſſus ſed enim hos, eventa hæc talia rerum,
Scilicet ad *Cami* ripas prædicere Vates,
Teque adeo memini, O! Myſtes celeberrime quondam,
O decus! & famæ merito pars maxima noſtræ,
Aonii Cœtus, *Montiſque* hinc CAROLE *Præſes*;
Plurima cui virtus toties feliciter audax,
At nullo Patriæ diſcrimine territa; Lauris
Addidit & Palmas; Trabeatoſque extulit inter
Eximium, Auguſti hinc moderantem fræna Senatus.
Dudum animo recolo, ut fatis aperiret *Apollo*
Pectora tunc, *Cimbri* Tu Herois, cum omine dextro,
Ut prius AURIACI, tædas quandoque jugales,
Europæ pariter fauſtas, Orbique *Britanno*
Uſque ſalutiferas, præſagâ mente voveres.
Tecum præcinuit, venturi præſcius ævi,
Hæc & plura quidem Vatum chorus entheus olim:
Jamque eadem hæc reſonat damnata *Britannia* Voti.
Haud vanum Patriæ Augurium. At qui forte putatis
Mira cani, non vera cani; his conferte priora;
ANNA quibus ſpondet majora: at Pronuba Fautrixque,
Adfuit his Thalamis LEIBERTAS: præfuit Auſpex,
Sancta *Themiſque*; *Aſtræa* reduxque; ac *Dîa Pronœa*.
Hinc & uterque Gener, pius, & complexus amore
Non tantum Patriam Altricem, ſed & Hoſpita Regna,
Excidio, & fœdæ ſervata à ſtrage ruinæ;
Sacra manu invictâ proavita, ac jura reponit.
Viderat Hunc *Suecos* contundere *Scania*; belli
Cum Cataphractus Eques, crepero diſcrimine, Fratrem
Sceptrigerum eriperet dextrâ victrice redemtum:
Deinde jugo pariter redimenda *Britannia*; porrò
Europe; Hunc Caſtris Soceri ſubducit; & una

EPICEDIUM

Protinus ancipiti Patris ANNAM ſubtrahit Aulâ.
Par inſigne Ducum, Fraterni Syderis inſtar
Ledæi, humanumque colit genus, aſpera bella
Componens; refugo ſed neuter lumine terris
At ſimul emicuit: tandemque evectus in altos
Heroum tractus, generis molimina contra
Fœdifragi, & fraudes perjuri haud Unius hoſtis,
Propugnans; vicit. Teſtatur *Boinia* præceps
Dividuis undis ubi caſtra inimica diremit;
Glande humerum cæſi, & lateri ut pugnantis adhærens
WILHELMI comes, & Regi devotus in omnem
Fortunam; exigeret *Gallos* cum victor *Hibernoſque*,
Hoſtilem donec captâ ſtatione Phalangem
Sterneret; adverſæ deturbans aggere ripæ.
Proderit exemplum. Quis enim Duce, & Auſpice tanto,
Servitium excutere, & venientia reſpuat arma
Auxilio? Quæ Gens, niſi torpens deſide Luxu;
Cappadocum aut ritu, immani ſervire Tyranno,
Prætulerit? Sed nec Tu, præſtans ANNA, recuſas
Jam Gentilitiæ dudum conſortia Laudis.
En Soror! En Conjux! En! Cœli Regia, plauſu
Excipit! Inde, viden! dilecta *Britannia*, votis
Ut revocet! 'Ni ſerò, ah! nè Tibi detur *Olympo*
'Adfectare viam pariter. Tua jam ardua virtus
'Non niſi ſumma petat: Poſtquam proſpexeris Aris;
'Tum Laribus: Genteſque Tuæ, ſub legibus æquis
'Conſidant; Sciſſæ ſtudia in contraria Partes;
'Perrupta & coeant divulſi fœdera Mundi:
'Demùm ubi cana Fides redit, & mortalibus aucta
'Religio; *Hæc Tua Te exæquet Victoria Cœlo*;
'Parque animus Sceptris: Majeſtas vere Auguſta.
'Obrutus ære tuo ſi conturbaverit Orbis;
'Gratia pro meritis Tibi ſi reſponderit impar;
'At memores Faſti; & Tua terris didita Fama;
'Te longùm, Cœloque manet certiſſima merces.

Jo. Laughton, A.M. Trin. Coll.

GEOR-

SIC ludimur? Guſtare, *Tantali* vice,
Vetamur Inſtans Gaudium?
Io Triumphe! dum foris Miles canit,
Plorare cogimur Domi.
Extorquet Invitis ocellis lacrymas
Sors Principis crudelior.
Lugere Defunctum, Aurei Nos Ingenî
Amabilis Candor Jubet;
Lugere virtus plus Triumpho ſimplici
Illuſtris, & Mens Conſilî
Potens. Quid Illi debeat *Britannia*
Teſtatur Alma Nobili
Quæ *Boiniam* palmâ Dies inſigniit;
Teſtatur aucta ſplendidæ
Moles ſuperba Claſſis, & Maris jugo
Tam latè adacti Gloria.
Quæ tuta Tanto Puppis ibat Præſide,
Nunc orba quas horret vices!
Regina, ſuccurris, vetaſque Navitam
Fatum timere refluum;
Pembrochio parere Tu fluctus jubes
Et Mœſta rident æquora.
Magnum Omen! Ecce Hic, Laude *Hibernicâ* gravis,
Accedit ad Curam Maris!
O Alma! quam non tantus impedit Dolor
Quo conſulas Tuis minus.
Quâ fas, levavit Principis Nobis tua
Sortem Benignitas gravem:
Levent tuarum Conjugis funus tibi
Fides Amorque Gentium.

Edv. Clarke, Aul. de Clar. Soc. Unus è *Bedell.* Armig.

GEORGIUS *Reginæ Maritus in cœlum receptus.*

SOLIS fas caſtis cœleſte inſiſtere limen,
Virginitas quos vel connubialis amor
Illuſtres reddit: ſic ſedes ætheris alti
Princeps magne tenes, Hoſpes amice Diis.

EPICEDIUM

Hoſpitibus lætare novis, clementia Divûm
ANNÆ concedat tempora longa Piæ.
Tandem poſt multos annos feliciter actos
In terris, ſolium ſcandat & illa poli.
Vos jungat cœleſtis amor tum, gaudia ſolus
Pura ſacri thalami qui ſuperare poteſt.

Ad REGINAM.

CURARUM atque tori ſocium lugere fidelem
Deſine; mœrori ſat lacrymiſque datum eſt.
Sint, Regina, tibi teneræ ſolatia mentis
Marlburii victrix *Eugenii*que manus,
*Sardiniæ*que comes captæ *Balearica* palma,
Et poſita Interno debita jura mari,
Et populi fortuna tui, fractæque ſuperbi
Borbonidæ vires, Fœmineumque decus.
Imperio duro præclara *Semiramis* olim
Eoos populos ſub juga miſit ovans.
Europæ populis melior das, ANNA, quietem,
Injuſtoque facis libera colla jugo.

Rob. Grove, Coll. D. Joh. Soc. & Acad. Reg. Prin.

Academia ad REGINAM.

ILLA ego, quæ dudum Thalamos, Celſiſſima Princeps,
Geſtivi cantare tuos, hilarique *Camenâ*
Læta maritalem prodibam viſere Pompam:
O! rerum inſtabilem ſortem, quæ proſpera cuiquam
Non ſinit eſſe diu, verſo modulamine, mœſtos
Cogor inire modos; dum Te, Regina, gementem
Ante oculos ſiſtam, & fletu pulcra ora rigantem,
Conjugis amplexu orbatam, quo non fuit alter
Cui magè Jura Tori ſacrata fuere, nec unquam
Aut magè Dilectus Conjux, vel Amantior ullus.
Vellem equidem ut ſileam potius, ne fortè viderer
Infandum Regina, tuum *renovare dolorem*:
At poſcunt Threnos ut pangat Muſa canoros
Exequiæ illuſtres adeo, tam Nobile Funus

Dede-

Dedecorant lacrymæ tenues, humileſque querelæ:
Nec Te mœrori patitur ſuccumbere, Virtus,
ANNA, tui nativa animi; vis inſita menti
Cœlitus aucta graves faciet Te ſiſtere contra
Fati ictus, omneſque immoto pectore ferre.
Hæc itidem noſtri fiunt Solatia luctûs,
Quod cum Regales, vi magnâ, invaſerat Arces
Lurida Mors, ſtragemque immanem ſæva ciebat
Principe proſtrato inſigni, ſpolia ampla reportans,
Supremo placuit, nutu qui temperat orbem
Rectori, incolumem Te Sceptra *Britanna* gerentem,
(Cara Deûm Soboles, noſtri Ingens Gloria ſec'li,)
Protegere, ac placidis tutò munire ſub alis.
ILLUM ergo rerum Dominum, Fontemque perennem
Vitai, qui certa ſalus ac Unica nobis,
ILLUM obteſtamur, precibuſque ambimus, ut eſſet
Firma tibi adverſus quæcunque pericula Rupes;
Servet ab Inſidiis, quas vel ſtruere Hoſtis apertus
Vel ſecretus amat, ſacrum Caput; irrita reddat
Impia, quæ contra te ſint, conamina, ficta:
Et quoniam Ætherias, Animæ, migravit in auras
Altera pars, Regina, tuæ (ſic Fata volebant;)
Quæ remanet, multis poſthinc volventibus annis
Sera ſuam repetat Conſortem, plena dierum:
Interea ſolium circumſtent ordine longo
Pax, & grata Quies, & largo Copia Cornu,
Et ſincerus Amor; tandemque Immunis inerti
Pondere Materiæ ſcandas ſublimis Olympum,
Inter ubi Proavos longo de ſtemmate Regum
Prognatos, radiis ſemper fulgentibus ornet,
ANNA, tuum Diadema Caput, Nectarque bibenti
Fas ſit in æternum Menſis accumbere Divûm.

Tho. Sherwill, A. M. Chriſti Coll. Socius.

Ad REGINAM.

QUOS adimunt annos caro, Regina, Marito
Virtuti cedant Triſtia Fata Tuæ;
Ingentem quamvis ſolvat *Britannia* Luctum,
Soſpite Te, populi, Maxima Cura, Tui.

EPICEDIUM

Dux Tuus en! iterum Tua Fulmina vibrat in Hoſtem!
Galli; more ſuo, *Fallere & Effugere*:
Nuſquam ſecuri, non Valli mole, nec armis;
Ingeniove Loci: ſed Fuga nocte placet:
Burgunde infelix! ſic ſic meruiſſe Triumphum
Si juvat, ut poſſis ferre Tropæa, Fuge:
Sive Fugâ ſolam quæris meruiſſe ſalutem,
I, *Fuge*; *Sed poteras tutior eſſe Domi.*

G. Trenchard, Arm. Coll. Jeſu, Socio-Commenſ.

Ad REGINAM.

ANNA, Tuus noſterque dolor, jacet Inclytus; olim
Deliciæ noſtræ, deliciæque Tuæ:
Diverſa ingentis petimus ſolatia luctûs,
Ægra cupit quicquid mens tua, noſtra timet:
Solâ morte tuos optas finire dolores,
Sola poteſt noſtros vita levare tua:
Sera dies, dixêre omnes, disjungat amantes,
Jam dicunt, jungat non niſi ſera dies.
Iras interea lacrymis, laurum adde cupreſſo,
Una geres partes Conjugis, atque Tuas.

Jo. Bennet, Coll. Trin. Socio-Commenſ.

VIRGILIUS potuit *Marcellum* flere peremtum,
Quoſque tulit numeros Muſa, Poeta loqui;
Scilicet indoluit, fas ut doluiſſe Poetis,
Muſa quibus ſolitos novit inire modos.
Sed Te, cum ex animo flemus, Te, Maxime GEORGI,
Verba, modi, numerique ore tremente cadunt.
Cura levis loquitur: ſed tanto oppreſſa dolore
Quem perferre nequit Muſa, referre negat.

Edm. Hopwood, Coll. Div. Joh. Socio-Commenſ.

JAM

CANTABRIGIENSE.

JAM qua peruſtâ ſolibus *Africâ*
Secernit oras pontus *Iberiæ*,
Victrix triumphavit per undas
Angligenûm, Tua cura, claſſis;
Jam, *Dana* Regum progenies, recèns
Velare dignâ tempora laureâ
Quæsîſti; at heu! ſolam ſevera
Parca tibi tribuit cupreſſum.
O! uſque noſtris ludere pervicax
Fortuna rebus, ſævaque neniis
Pæanas, & mœſtis *ſuperbos*
Vertere funeribus triumphos!
Vix auſpicato ſole benignior
Illa, Illa *Creſsâ* digna *Dies notâ*
Illa omne cum primis in ævum
Angliacis memoranda faſtis
Dies refulſit; quâ Roſa *Scotico* eſt
Unita conjux *Anglica* Carduo;
Quam tu maligna, quâ diremtum
Conjugium vidua ANNA plorat.
O! ſi jugali fidus Amor faci
Ævum dediſſet! non vegetus magis,
Ætate non perenniori,
Veſta, tuus micuiſſet ignis.
Vos teſtor, *Hymen*, *Juno*que Pronuba,
Vos quando caros compare vinculo
Junxiſtis æque, æque fideles
Ferre jugum pariter maritum?
Jam, blande Princeps, jam quoque conjuge
Cares amatâ; nec ſuperûm tibi
Menſiſve decedunt amores,
Nectareive liquoris hauſtu.
At ſera votis ſera dies tuis.
Redonet ANNAM! quin potius polum
Tu ſtella fulgens occupato,
Angliacis peramica nautis;
Hic, ANNA Conjux, & populi Parens,
Ter cara Conjux, alma eadem Parens
Audire amet, magnos &, anni
Quotquot eunt, iteret triumphos.

M. Cary Trin. Coll. Alumn.

EPICEDIUM

MOESTA malis, lacrymisque suis, nova flumina cernit,
Et tenet in gremio Terra *Britanna* fretum;
Nec mirum, Imperii memores comitesque sepulchri,
Si Dominum abreptum persequerentur aquæ.

Geor. Rose, Trin. Coll. Socio-Com.

MULTIS dolendus GEORGIUS occidit,
Plus, ANNA, nulli quam Tibi conjugi,
Irrupta quos solo tenebat
Copula dissolüenda fato.
Fato rapaci si pietas moram
Afferre posset, vixerat omnium
En! ille post fatum superstes,
Unica nî supereſſet ANNA.
At illa mortis præcipites nequit
Tardare pennas, est *Domus* & *placens*
Linquenda conjux, ipsa tantum
Non poterit pietas obire.
At Tu, Mariti plus nimio tui
O ANNA, fatum ne doleas memor;
Quanquam O! dolenti tale damnum
Quis *pudor aut modus* esse possit?
Si sit levamen participes tui
Habere luctûs, aspice non tuos
Tantum, sed omnes, quotquot ANNAE
Jam viduæ illacrymare nôrunt.
An *Parca* tales esse simul duos
Invidit? an Te crediderit nimis
GEORGI beatum, qui fruaris
Conjugio populoque tali?
Saltem paternâ GEORGIUS in domo
Si quis maneret, qui referat patrem
Vel ore, non deserta prorsus
ANNA parens poteras videri.
At sola luges nunc vacuâ Domo,
Stratis relictis, mœnia nec tuæ
Menti recurrunt capta nuper;
Ille animo sedet, ille solus.

Mors

CANTABRIGIENSE.

Mors ſæva, per te ſponſus amabilis
Et cara proles, unica ſpes, erat
Direpta; dilectæ ſed ANNAE
Parce precor, ſibi parcat ANNA.

Guil. Martyn, Coll. Trin. Alumnus.

Ad REGINAM.

DUM gemis, O noſtris Princeps chariſſima terris,
Et tepido viduos proluis imbre Toros;
Ipſa tuis curis, & eodem ſaucia fato
En reſonat gemitus, Terra *Britanna*, tuos!
Quis poſſit ſiccis ea funera cernere ocellis,
Anglia quum Patrem luget, & ANNA Virum!
Quum *Thetis* amiſſo plorat ſeſe *Anglica* ſponſo,
Mavors atratam ſumit & Ipſe Togam:
Quos etenim non Bella movent, non Tela, nec Ignes,
Sollicito (Princeps flebilis) ore moves:
Tecum conſortes *Phoebi* flevêre *Camenæ*,
Et maduit lacrymis anxia *Granta* tuis.
O Amor! o Patriæ Lumen, Decor! ore ſereno
Aſpectes *Britonas*, ANNA! nec uſque gemas.
Parcere ſi cupias Subjectis, parce dolori:
Qui premit, ille premit certus utroſque dolor.

Guil. Blanſhard, Coll. Chriſti.

FLEVIMUS amiſſi crudelia fata *Shovelli*
Cum nautam intrepidum ſorbuit Unda ſuum.
Neptunus jam raptus abit: dare jura patenti,
Quæ poterit, pelago reſtat at Ipſa *Venus*.

Gerardus Neden, Trin. Coll. Alumn.

FLANDRIACI fruſtra *Gallorum* ſanguine campi
Pingueſcunt, fruſtra victricia ſigna per orbem
*Malburius Mavorſ*que ferunt. Cur ſenſimus olim
Præſentes Divos? Hac mœſti lege triumphos

EPIGEDIUM

Deflebunt *Britones*, rapiat ſi flebilis hora
Semideos, totamque inceſtet funere gentem.
Ergone Te duri rapit inclementia fati,
Te GEORGI, te triſte caput? tua funera flemus?
Tene premunt inviſæ umbræ? nec plurima laurus
Fatalem capiti potuit depellere peſtem;
Non Frontis divinus Honos; dilectaque *Marti*
Dextra, haſtam torquere ſciens, enſemque rotare
Fulmineum, & latè adverſis dare funera caſtris?
Dicite vos ſocii, fortiſſima pectora, *Dani*,
Vos vidiſtis enim, quantum ſeſe arduus armis
Extulit, ut latè medios prorupit in hoſtes,
Præcipitemque immani agitavit turbine *Suecum*.
Quid tamen illæſo media inter fulmina belli,
Incolumem prodeſt per tela cruenta, per ignes,
Expediiſſe viam, ſi tandem ingloria paci
Præda cadit, poſitiſque occumbit GEORGIUS armis?
At nunc ſublimis volucri ſuper æthera curru
Invehitur, patrii regnum viſurus *Olympi*,
MARCELLUMque ſuum. Fas jam tibi, Maxime GEORGI,
NASSOVII vultus, præſentiaque ora tueri
CAROLIDUM, & notas haurire & reddere voces.
At Vos O ſuperi! quorum hæc ſub numine tellus,
Vos precor Æterni, ſiquid pia vota valebunt,
Et precibus duræ poterunt miteſcere *Parcæ*,
Infandum prohibete diem, procul omine magno
Dii prohibete diem, quâ regnis debita veſtris
Exerat auguſtum cœlo caput ANNA, *Stuartûm*
Relliquiæ ingentes.——Quod ſi *Libitina*, cruore
Nondum expleta furis, Majeſtatemque verendam
Rurſum audes violare, minoraque numina, Reges,
I, pete *Borbonidem* infidum, pete fulmine certo
Inviſum caput, & ſub triſtia *Tartara* mitte.

Sam. Hill, Coll. Div. Johan. Commenſ.

Huc uſque læto carmine luſimus,
Huc uſque pictis veſtibus *Anglia*
Ornata, felices Triumphos
Auſpiciis cecinit ſecundis.

Nobis,

CANTABRIGIENSE.

Nobis, recenti non ſine Gloriâ
Affulſit Æſtas ſingula, nec parum
Senſere, quantum noſtra *Pallas*
Et *Britones* potuere, *Galli*.
Infectus *Iſter* ſanguine Barbaro
Notumque latè *Ramiliæ* decus,
Æterna teſtantur Tropæa;
Muſa! levi nimis ampla Plectro.
Sed dum paramus Belligero Duci
Novos honores, ſertaque laurea;
Heu! *Parca*, pro Lauru, caducam
Impoſuit capiti Cupreſſum.
Gens tota ſævo ſaucia vulnere,
Sedet profundis merſa doloribus,
Carumque deplorat Patronum;
ANNA, tamen tibi cariorem.
Ah! queis pepercit dura Neceſſitas?
Crudelis in Te plus vice ſimplici;
Prole Orba primum, nunc Marito!
Sera Tibi veniat, precamur.
O! ſi canoro blandius *Orpheo*
Plectrum moverem, carmine *Cerberum*,
Sævumque placarem Tyrannum,
Magni animam repetens GEORGI.
At vota ſi non nec Citharæ ſonus
Manes reducet, nemo tamen poteſt
Obſtare, ne ſolvam ſupremo
Triſte miniſterium ſepulchro.
Vivas fideli in pectore Conjugis,
Vetare, ſaltem hoc, dura licet, tibi
Non fata poſſunt. Sic repôſti
Nil metuent cineres ſepulti.
Beate Princeps! pars melior tui
Regina nobis Sceptra regat diu,
Regina, veſtrarum *Britanni*,
Grande decus columenque rerum.
Vivat ſuorum Gloria civium,
Timenda *Galli* gentibus invidis,
Laudumque ſero plena & ævi,
Sedibus Ætheriis quieſcat.

J. Slatter, Coll. Regal. Alumn.

EPICEDIUM

DUM proſequuntur Te lacrymis ſuis
Vulguſque mœrens, & Procerum chorus,
Fletuſque gemmâ ſolvit omni
ANNA tibi pretioſiores,
Dilecte Princeps; miſceat & ſuos
Minerva planctus; nam *Dea* mortuum
Armiſque præſignis Togâque
Te geminâ dolet Arte clarum.
Quid *Marte* poſſes *Suecia* viribus
Congreſſa quondam Diîſque minoribus,
*Lunden*que *Landscroono*que teſte
Enſe tuo viduata ſenſit.
Quid pace, amoris quid ſtudio, *Anglia*,
Beata ſi ſat ſenſerat, utraque
Laurûſque collatæque olivæ
Ars tibi dat meritò coronam.
Tu, quam ipſe nectis temporibus, ſatis
Splendes coronâ, haud carminis indigus,
Nec Muſa languens te vel uno
Noſtra poteſt decorare flore.
O ſi reſurgens ſpiritus alterum,
(Divini ut olim tempore *Cæſaris*,)
Flaccum excitaret, emicantem
Ingenio, meritâque lauro;
Tum plectra vates Enthëus in tuas
Laudes feriret, neve ſilentio
Jacere te longo ſepultum
Totve tuos ſineret labores.
Jamque impotentis faucibus integrum
Fati evolantem *ducere nectaris*
Succos, & aſcribi quietis
Ordinibus caneret *Deorum*.
Verſu perrenni diceret, ut tuum
Splenderet aſtrum, muneris ut memor
Priſci renidens è ſupernâ
Arce rates regeres *Britannas*.

Guil. Birch, Coll. Trin.

MUSA

MUSA triumphales celebravit plurima pompas,
*Parnaſſi*que caput ſupra *Pindi*que cacumen,
Exaltata inclinantis ſucceſſibus anni,
Lætatam implevit devotis verſibus Aulam.
Sed quæ funereos depinget Muſa triumphos
Principis, & mœſtam cantu ſolabitur ANNAM?
Omnis Muſa ſilet? neque jam *Congrevius* audet
Lugentis curas ANNAE triſtemque dolorem
Carminibus mulcere, licèt quaſi *Thracius Orpheus*
MARIAE fatum ceciniſſet lugubre, luctus
Et GULIELME tuos? fecit dolor eſſe diſertum.
Montacute taces? nec lamentabile carmen
Panges? idem *Mecœnas* idemque poeta
Auguſtum nullo decorabis munere funus?
Principibus ſolis unus tua carmina debes;
In CAROLI laudes quæ vis, quæ copia vocum
Fluxit, quam facili elicitur facundia venâ?
Si mihi, ſi tales eſſent in carmina vires,
Non tremerem meminiſſe Ducis, meminiſſe ſuarum
Laudum, ſublimes tentaret muſa volatus.
Defuncti canerem juveniles Principis annos,
Heros viſus erat quàm formidandus in armis,
Quam pulcher! ſic armatum *Cytherea* videret,
Illa ſui amplexus vellet contemnere *Martis*,
Atque viri peteret *Divo* majoris amorem.
Una ſed ante alias ſeclis memoranda futuris
Omine candidiore dies ſignabitur illa,
Quâ Princeps media arma inter ruit agminis inſtar,
Rupit & oppoſitas vibrato fulmine turmas,
Dum charo Fratri afferret Regnoque labanti
Auxilium, dabit æternos hæc Laurus honores.
Sic olim indoluit verſis, ubi *Græcia*, fatis,
Et ceſſit, *Phrygiæ* jam debellata juventæ,
Æacides patriæque *Patrocli*que actus amore,
Arma manu capit arma manu, *Martem*que laceſſit;
Victorem agnoſcens cedit victoria, *Teucros*
Victor & inſequitur, nec inultum linquit amicum.
Deſine ſed muſa, *Icarii* non inſcia fati,
Ætherias tentare vias, nec Principis acta
Detere, quæ tenui non ſunt dicenda *Camenâ*.
Reſpice Reginam, lacrymis licet obruta fuſis

EPICEDIUM

Fœmineos inter cœtus quam pulchra videtur!
Sic viſa eſt *Cytherea*, ſuum ſic flevit *Adonin*.
ANNA, novos aſſume animos, quid inania morti
Munera das lacrymas, veteres meditere triumphos
Et meditere novos, ſuccumbet *Gallicus* heros,
Agnoſcet tandem invitus quid Fœmina poſſit,
Regibus es major, dominaris major ELIZA,
ANNA, tuum devince dolorem, & major es ANNA.

H. Stanhope, Trin. Coll. Alumn.

DAMON, MENALCAS.

Damon. QUID tibi cum vultu caperato, & fronte *Menalca*
Demiſsâ? unde novus rigor oris, & iſta genarum
Dulcibus aſperitas ſubſidere ſueta cachinnis?
An tua te ſimulat nunc faſtidire *Corinna*,
Paſtoriſque tuis *Mopſi* præponit amores?
Quin igitur ſumas vireſque faleſque venuſtos,
Et mecum noſtros celebret tua Muſa triumphos.
Audîſti, ut nuper ceſſit victricibus armis
Inſula, *Flandriacis* vicus celeberrimus oris,
Quamque dedit ſtragem *Churchillius* enſis; ut illic
Tædia longævæ ſpernens ingloria vitæ,
Certus in armatos victor ſeſe obtulit hoſtes.

Men. Siſte precor; quonam uſque tuum te proripit Oeſtrum?
Quem latitare, putes, potuerunt talia? quis non
Malburî agnoſcit dextram de cæde rubentem,
Et fortunatos, hìc ſi ſors ſiſteret, *Anglos*?
Sed nova cauſa ſubit lacrymis; en Gloria ſec'li
Præteriti, præſentis amor luctuſque, futuri
Exemplar, tenues animam exhalavit in auras
Daphnis! Quis *Pylio* caneſcere dignior ævo?

Dam. Vera refers? mala Divi avertant omina; Noſter
Occubuit *Daphnis*? crudelia numina, *Parcæ*:
Quëis noſtris toties donis altaria fumant,
Hoc tanti veſtris fuit indulſiſſe colonis?
Hoc duce roratos (ſinerent modo fata) per agros
Sæpe erraret ovis, nec, quod formidet, haberet.
At paſtos ut fortè boves ad flumina nuper
Egi (non tantæ cladis mihi defuit omen)

Præſa-

Præſagum neglexit aquas pecus omne, nec herbam
Graminis uſque prius ſic faſtidire notavi.
Men. Aſt ego dum veteris ſacro ſub vertice tecti
Libabam laribus præcordia pinguia noſtris,
Deſunt (ô monſtrum grave) corda, exclamat aruſpex
Conſcius, atque aris ſacra imperfecta reliquit.
Dam. Quanta premit miſeros fati inclementia? quantas
Lætatur variare vices *Fortuna*? peremtum
Sæpe bonum flemus, cum inviſus cuique Tyrannus
Vivat; & omne ſuis jubeat ſuccumbere votis.
Cur non Daphni, tibi fera numinis ira pepercit,
Et noſtra in ſeros ulta eſt delicta nepotes?
Olim credideram, cum Te tua vivida Virtus
Eximeret leto, Caput inter & Aſtra referret,
Sec'la fore intrepidis paſtoribus aurea; ut olim
Cum nova progenies noſtris ſuccederet antris,
Inſtrueret meritas Tibi ruſtica fiſtula laudes.
Ut Tibi grata quies! ut Tu, dum terra vacillat
Anglica diſſidiis rerum ſtudioſa novarum,
Otia mentis agis, veri moderaminis Index?
Sed vereor, ne ſpreta abeant atque irrita vota.
Men. Non ita, mi *Damon*, nobis dubitare relictum eſt.
Cum prope Numen erat terris, quis juſtior alter
Divinos, poſitis aris, ſibi poſcat honores?
Ergo Tu *Daphnis* quocunque in vortice cœli
Stella recens ſplendes, placidus terreſtria cura;
In laudes ſic noſtra tuas altaria ſurgent.
Dam. Quin ita cur taceas crudelia fata vocantem
Daphnidos Aſtræam? quæ, dum conſortia lecti
Gaudia, præteritos animoque revolvit amores,
Vix, tantis lacrymis impar tantoque dolori,
Parte animæ majore, ſuam retinebit, ademtâ,
Haud ita dilexit flevitve puella *Leandrum*
Seſta, videns male fiſum undis pallere cadaver.
Men. Deſine, *Diva*, queri fata amplius; æthere, qui Te
Protegat, alter adeſt; tu tandem reſpice noſtra;
Auſpiciis iterum veſtris ſperare licebit,
Et longum avulsâ promittere nube ſerenum.
Carmina ſi quid habent veri, cum ſera repoſcent
Tempora promiſſum te Numen, ſtella micabis
Purior, & cœlis ipſo vel *Daphnide* major.

Pult. Foreſter, C. C. C. Commenſ.

EPICEDIUM

Fœmineos inter cœtus quam pulchra videtur!
Sic viſa eſt *Cytherea*, ſuum ſic flevit *Adonin*.
ANNA, novos aſſume animos, quid inania morti
Munera das lacrymas, veteres meditere triumphos
Et meditere novos, ſuccumbet *Gallicus* heros,
Agnoſcet tandem invitus quid Fœmina poſſit,
Regibus es major, dominaris major ELIZA,
ANNA, tuum devince dolorem, & major es ANNA.

H. Stanhope, Trin. Coll. Alumn.

DAMON, MENALCAS.

Damon. QUID tibi cum vultu caperato, & fronte *Menalca*
Demiſsâ? unde novus rigor oris, & iſta genarum
Dulcibus aſperitas ſubſidere ſueta cachinnis?
An tua te ſimulat nunc faſtidire *Corinna*,
Paſtoriſque tuis *Mopſi* præponit amores?
Quin igitur ſumas vireſque ſaleſque venuſtos,
Et mecum noſtros celebret tua Muſa triumphos.
Audîſti, ut nuper ceſſit victricibus armis
Inſula, *Flandriacis* vicus celeberrimus oris,
Quamque dedit ſtragem *Churchillius* enſis; ut illic
Tædia longævæ ſpernens ingloria vitæ,
Certus in armatos victor ſeſe obtulit hoſtes.

Men. Siſte precor; quonam uſque tuum te proripit Oeſtrum?
Quem latitare, putes, potuerunt talia? quis non
Malburî agnoſcit dextram de cæde rubentem,
Et fortunatos, hìc ſi ſors ſiſteret, *Anglos*?
Sed nova cauſa ſubit lacrymis; en Gloria ſec'li
Præteriti, præſentis amor luctuſque, futuri
Exemplar, tenues animam exhalavit in auras
Daphnis! Quis *Pylio* caneſcere dignior ævo?

Dam. Vera refers? mala Divi avertant omina; Noſter
Occubuit *Daphnis*? crudelia numina, *Parcæ*:
Quëis noſtris toties donis altaria fumant,
Hoc tanti veſtris fuit indulſiſſe colonis?
Hoc duce roratos (ſinerent modo fata) per agros
Sæpe erraret ovis, nec, quod formidet, haberet.
At paſtos ut fortè boves ad flumina nuper
Egi (non tantæ cladis mihi defuit omen)

Præſa-

Præſagum neglexit aquas pecus omne, nec herbam
Graminis uſque prius ſic faſtidire notavi.
Men. Aſt ego dum veteris ſacro ſub vertice tecti
Libabam laribus præcordia pinguia noſtris,
Deſunt (ô monſtrum grave) corda, exclamat aruſpex
Conſcius, atque aris ſacra imperfecta reliquit.
Dam. Quanta premit miſeros fati inclementia? quantâs
Lætatur variare vices *Fortuna*? peremtum
Sæpe bonum flemus, cum inviſus cuique Tyrannus
Vivat; & omne ſuis jubeat ſuccumbere votis.
Cur non Daphni, tibi fera numinis ira pepercit;
Et noſtra in ſeros ulta eſt delicta nepotes?
Olim credideram, cum Te tua vivida Virtus
Eximeret leto, Caput inter & Aſtra referret,
Sec'la fore intrepidis paſtoribus aurea; ut olim
Cum nova progenies noſtris ſuccederet antris,
Inſtrueret meritas Tibi ruſtica fiſtula laudes.
Ut Tibi grata quies! ut Tu, dum terra vacillat
Anglica diſſidiis rerum ſtudioſa novarum,
Otia mentis agis, veri moderaminis Index?
Sed vereor, ne ſpreta abeant atque irrita vota.
Men. Non ita, mi *Damon*, nobis dubitare relictum eſt:
Cum prope Numen erat terris, quis juſtior alter
Divinos, poſitis aris, ſibi poſcat honores?
Ergo Tu *Daphnis* quocunque in vortice cœli
Stella recens ſplendes, placidus terreſtria cura;
In laudes ſic noſtra tuas altaria ſurgent.
Dam. Quin ita cur taceas crudelia fata vocantem
Daphnidos Aſtræam? quæ, dum conſortia lecti
Gaudia, præteritos animoque revolvit amores,
Vix, tantis lacrymis impar tantoque dolori,
Parte animæ majore, ſuam retinebit, ademtâ,
Haud ita dilexit flevitve puella *Leandrum*
Seſta, videns male fiſum undis pallere cadaver.
Men. Deſine, *Diva*, queri fata amplius; æthere, qui Te
Protegat, alter adeſt; tu tandem reſpice noſtra;
Auſpiciis iterum veſtris ſperare licebit,
Et longum avulsâ promittere nube ſerenum.
Carmina ſi quid habent veri, cum ſera repoſcent
Tempora promiſſum te Numen, ſtella micabis
Purior, & cœlis ipſo vel *Daphnide* major.

Pult. Foreſter, C. C. C. Commenſ.

EPICEDIUM

ANNA, gemis rapti funus crudele Mariti;
Sed non ſola gemis: gemitus nunc aſpice noſtros!
Aſpice! (ſiquid erit ſocios habuiſſe doloris)
Te lugente, ſimul pullata *Britannia* luget.
Sat placata olim viſa inclementia Divûm,
Sat Leto, Fatiſque datum; cum noſtra periret,
GLOVERNO pereunte, ſalus: non ægra querelis
Indulſit plus *Roma*, ingens cum gloria *Romæ*
Marcellus caderet: nec Te, *Marcelle*, cadentem
Dulcius *Aonio* cecinêre à vertice *Divæ*;
Æterni cecinit quamvis Te Muſa *Maronis*.
Quò feror? ah! nobis quæ ſic memorata dolebunt,
Cur memorare juvat? vulnus, cui ducta cicatrix,
Quid nudare placet? quid luctibus addere luctus?
Enarrent alii defuncti Principis acta;
Multa ſuper raræ dicant Pietatis honore,
Quæ dici poterunt; memori dum mente revolvunt
Principis annales, repetant acerrima bella,
Devictaſque acies, Fratremque à morte reductum.
Non mihi *Muſa* dedit tantas depingere laudes,
Nec vellem, ſi *Muſa* daret: numeroſa, latere
Si poſſit, lateat Virtus; ſpectata nocebit:
Et creſcente Viro, noſtra infortunia creſcent.
Dulcia quis tanti tibi jam ſolatia luctûs,
ANNA, feret? quis non ſimilem Te dixit ELISÆ?
Dixit; at heu ſimilem non ſic ſperavit ELISÆ.
Parce tamen lacrimis, inſano parce dolori;
Non Tuus hos poſcit gemitus, non GEORGIUS optat
Hæc ſibi dona dari; ſola hæc, Te dante, recuſat.
Demulcere animos, & edaces fallere curas
Dicuntur numeri: numeros quis molle fluentes
Jam properet Vates? ſeu qui, *Paſtora*, ſonabas;
Paſtora, omne nemus; *Paſtora*, è rupibus *Echo*.
Seu tu, qui *Thameſin* deſertis *Iſidos* undis,
Addiſone, colis, nova fundes carmina; ſurdis
Carmina non fundes: ſeu ſis, *Roæe*, daturus
Immortale melos: floreſcet gratia facti.
Quòd ſi veſtra parum proſit facundia; motos
Nec fluctus animi, tempeſtateſque ſerenet:
Ipſe veni *Muſis* comitatus, magne Poeta,
Olim qui CAROLI nimis aſpera fata gemebas,

Divi-

Divinumque pari decorabas carmine Regem.
Quò res cunque vocat, ſimilis Te palma ſequetur:
Qui tum plauſus erat, cum Tu per flumina *Boinæ*
(Vix audita prius, cui non jam flumina nota?)
WILHELMUM impavidè ferrumque Deoſque ferentem,
Magnaque ſpirantem ſpirans majora canebas.
I decus, I, noſtrum! lux totius inclyta gentis
Sis licèt, O! patiens ſemper ſis Noſter haberi.
Non domus hæc alio tantum ſe jactat Alumno;
Te læta agnoſcit Procerem: nunc aurea tangas
Fila lyræ, rurſumque novas in carmina vires
Accendas: ſi forte tui dulcedine cantûs
(Unum quod nequeas) nequeas inflectere Fata,
Compeſcas ſaltem, quos Fata dedêre, dolores.

L. Euſden, Coll. Trin. Alumn.

HACTENUS expanſis velis admittere plauſus
Et licuit toto gaudia ferre ſinu;
Hactenus haud ullâ maculatum nube ſerenum
Vidimus, atque hilares præteriiſſe dies;
Gaudia nunc valeant: temeravit morte Triumphos
Fortunæ unâ omnes imperioſa manus.
Quam vario Fors noſtra rotat caſu! una beatos
Angligenas, miſeros aſpicit una dies.
Quis *Lacheſin* fugiat? jacet ipſe GEORGIUS, ipſe
Nec fugit veſtras, Numina nigra, manus.
Deflendum caput O! multumque diuque! querelis
Quis ſperet noſtris ponere poſſe modum.
Quanquam lætantur cœli tanto hoſpite, nemo &
Gratior ætherias poſſit inire domos;
Patria Te tamen infelix, mœſto *Anglia* vultu
Te luget, ſparſas dilaniata comas.
Sentit & Oceanus damnum, luctuque ſonoro
Jam plangit Domini fata ſevera ſui.
Præ cunctis viduata dolet charo, ANNA, Marito,
Non ſolanda ſua vulnera mente gerens.
Hectoris Andromache ſic flevit triſtia fata,
Flevit *Peliden* ſic *Thetis* orba ſuum:
Sed non *Andromache*, ſed non *Thetis* ipſa, querelis
Dura avidi potuit flectere jura Dei.

EPICEDIUM

Mitte igirur lacrymas, vitam ſerva, ANNA, *Britannis*
Et Tibi ſi non vis vivere, vive Tuis.

Ed. Pordage, Coll. Regal. Alumn.

FELICI toties *Ludovicus Marte* ſubactus
Non ſine Diîs, ANNA, Auſpice Diva,
Dudum ſpes dubias firmavit, & omnia fecit
Non dubiæ prænuntia Palmæ,
Nec minus optatæ præſagum pignus Olivæ.
Et ſic auſa iterare Superbas
Sæva vices, parat & Laurus *Libitina* virentes
Invisâ importuna Cupreſſu
Polluere, & vel victricem premere improba Palmam;
Huic uni ſuccumbere victam,
Omni alio ſolitam ſub pondere ſurgere, Frondem?
Sic læto intermiſcet amarum,
Sic geſtit medios turbare proterva Triumphos,
Proque Triumphali lacrymoſam
Nos Triſtes jubet, & funebrem ducere Pompam?
Vix bini labentibus annis
Brutigenæ retro numeramus Tempora Luſtri
Ex quo deflebamus JULUM,
Delicias *Britonum*, immaturo Funere raptum,
Deflebat Pueri aſpera Fata,
Quæ tamen haud rumpit nec Avunculus *Hector*, at Idem
Fidum *Angli* Tutamen, & olim
Ingens Ipſe ſuæ, dum vixit, Gloria *Trojæ*
Occubuit, Puerumque ſequutus
Cura reluctantes exercuit Altera Muſas.
Nec tantis ſaturata Ruinis
Parca, furore petit renovato Limina Regum,
Ceu dirum nunquam ante Triumphum
Egiſſet, nunquam triſtaſſet flebilis Aulam:
Jam Pater *Æneas* cadit, *Orco*
Ultima Præda, ſuæ non ultima Cura *Creuſæ*,
Sæpe prius vel peſſima paſſæ,
His nunquam pejora tamen. Chariſſime Princeps
Ergo Te quoque Ferreus urget
Somnus, & æternis Tenebris Tua Lumina clauſit?
Ad Planctus & lugubre Carmen

Flentem

Somnus, & æternis Tenebris Tua Lumina clauſit?
Ad Planctus & lugubre Carmen
Flentem iterum invitamique vocant Tua Buſta Camenam?
Aſtra quidem & Cœlos meruerunt
Sancta Fides, Pudor intemeratus, candida Virtus,
Et nivei ſuper æthera noti
Mores; quid *Britones* meruere? quid optima Conjux,
(Heu! Conjux modo dicta GEORGI)
Ut raptum Illa Maritum, Illi quererentur ademtum
Exemplar venerabile Morum?
Quin *Brito* Tu querulos Luctus compeſce, faventes
Sat Superos & Sydera habemus.
En ſupereſt (ſeros ô Fauſta ſuperſit in annos)
ANNA: Pudor, Pietaſque, Fideſque,
Principis abrepti Virtuſque, ſuperſtite Divâ,
Tota Parem invenere, videtur
Mortuus in vivâ ſpirare GEORGIUS ANNA.
Et decet indulgere Dolori
Ulteriuſque almam fletu violarier ANNAM?
Quin Lacrymas, quin ſiſte Querelas
Curarumque laboranti de Pectore Molem
Excutito Regina, Supremi
Hoc Superi poſcunt, oratque *Britannia* ſupplex:
Ne Dolor immodicus fateatur
Fœmineos jam primum Animos, & non Tua Corda.
Quin ægri jam deſine Queſtûs
Non adeo rapti memor ut ſis immemor olim
Ipſa Tui, *Britonum*que Tuorum.
Deſine; credo equidem, non hæc, ſine Numine Divûm,
Fata viam invenere, Secundæ
Scilicet ut quam non potuerunt frangere, Rebus,
Ipſa Eadem invictiſſima quondam,
Non frangenda Malis opponere Pectora poſſes:
Sic creſcas, Damnoque fruaris
Ingenti, at noſtrum niſi falſis impleat Augur
Falſus *Apollo* animum, ſupera bis
Semper, & adverſis emerges pulchrior undis
Steuartum genuina Propago.
Haud aliter latitat lapis atrâ Nocte Smaragdus
Vilior, adjutuſque Diei
Luce nitet, ſolus nunquam vincendus opacâ
Nocte, *ADAMAS* nativa tuetur

EPICEDIUM

Lumina, inardeſcit flammis radiantior ultro
Et Tenebris micat auctus amicis.

Jer. Ellis, Coll. Regal. Alumn.

CAME patet ſi forte vacat, ſi tanta *Deorum*
Ira, tuas nondum cum voce repreſſerit undas;
Came refer, meminiſti etenim, quæ carmina quondam
Fluminis ad ripas afflatus Numine *Divûm*
Cantabat Paſtor, dilectæ ad mœnia *Grantæ*,
Temporis evolvens miracula ſera futuri,
Evolvens famamque ſimul luctuſque nepotum.
Olim ſceptra geret, Soliumque implebit avitum
ANNA potens armis, referetque inſignia belli,
Seu *Rhenum Rhodanumve* petit florente catervâ,
Aut ſi longinquum Victrix ſpatiatur ad *Iſtrum*.
ANNA potens; Solùm nec erunt ſua prælia curæ;
Fœdere jungentur populi, & diſcrimine nullo,
Amborum *Britones* erit unum nobile nomen.
Sic genus inviſum quondam, coaleſcet amore,
Cum Regina jubes; *Scotûm* comitantibus Armis,
Anglica ſe quantis attollet gloria rebus.
At quis Te tacitum linquat, Te Maxime rerum
Princeps, cum laudes gentis memoramus, & ANNAM:
Nulla dies unquam veſtros delebit amores;
Illic caſtus Amor ſuccendit lampadas, illic
Purpureas alas, atque aurea ſpicula vibrat
Luxurians, *Zephyruſ*que fideles ventilat ignes.
Concordes animæ! ſi quid pia Vota valerent,
Dî removete diem longe felicibus, illum
Ne vis crudelis, neu vis crudelior illam
Abripiat prius, & felicia fœdera ſolvat;
At ſimul ad metam trepidet matura ſenectus.
Aſpera fata negant; urget volventibus annis
Atra futura dies, nec te Tua, Maxime Princeps
Servabit letho Pietas, neque Gloria belli:
Atra futura dies, plorabis Regia Conjux
Conſortem amiſſum thalami, dulceſque *Hymenæos*.
Parce piis nimium lacrymis, neque polluat ora
Infelix labes; at ſacri gaudia Vultûs
Exere languenti populo, qualiſque videri

Ante

CANTABRIGIENSE.

Ante ſoles, videare, tuis cum læta triumphis
Incedis, populuſque frequens miratur euntem.
Aſpice felices annos longo ordine, & illa
Quæ jam devicto retuliſti ex hoſte tropæa.
At Pacis meliora manent; orbique volenti
Jura dabis, ſpargeſque Tui fata aurea Regni.
Felix, ſeu *Gallis* inters lacrymabile bellum,
Seu cum paciferâ Laurus mutabis olivâ:
Tum quoque docta Quies, & non ingloria ruris
Otia floreſcent, atque aurea tempora Muſis.
O nimium felix! dederant modo fata Marito
Aſpexiſſe tuos ipſumque ornaſſe triumphos:
At cum fata negant vitam indulgere duorum,
Præripietque illum tanta inclementia *Divûm*;
Ille tamen vivet meliori parte ſuperſtes,
Teque & Pace diu populus, tua cura, fruetur.

Paulus Whichcote, Coll. Sanct. Petri Socio-Com.

Dum mœſtis, pia *Granta*, modis, flet funera GEORGI,
Lugubri causâ carmina digna canens,
Nos quoque Muſa jubet numeris mandare dolorem,
Et durum cantû fallere mentis onus;
Sic modulis Philomela ſuis mœſtiſſima gaudet,
Atque mali ex illis grande levamen habet.
Principis abrepti vos tollite in æthera laudes,
Queis plus Muſa favet, mœror obeſtque minus:
Dicite quæ meruit belloque & amore tropæa,
Ampla dedit *Mavors*, ſed magis ampla *Venus*;
Mars tribuit juveni victores vincere *Suecos*,
Sed *Venus Angliacam* vincere poſſe *Deam*;
Sic tibi, *Tydide*, non tantum laudis aduſta
Urbs *Troûm*, quantum *Cyprias* icta, dedit.
Sed quo me, mea Muſa, rapis, temeraria? linque
Dulce, ſed exiguis viribus impar opus;
Principis acta canant alii, tu munera præſta,
Quæ minus ingenii, plus pietatis habent?
Triſtia fata Viri luge, quem plorat ademtum
ANNA, rigans lacrymis ora verenda piis,
Flens Sponſum Amiſſum, quo non præſtantior alter
Grata unquam ſubiît vincla, *Hymenæe*, tua:

EPICEDIUM

Quam vellet Viduæ Reginæ afferre levamen
Anglia! at auxilio non minus ipſa caret
Icta dolore pari, nam, Princeps Optime, tota
Interitû, vidua eſt Inſula facta, tuo;
Hoc differt luctuſque Tuus, luctuſque tuorum,
ANNA, quod eſt damni nulla medela tui:
Sed nobis ſolamen adeſt, nam terra *Britannis*
Nec debet nec Te Soſpite, flere poteſt.

S. Thirlby, Coll. Jeſ. Alumn.

Εἰ Μῶσάν μοι Μαιονίδω, ἢ δῖαν ἀοιδὴν
Θηβαίω κύκνω Φοῖβος ἔδωκε πατὴρ,
Δεινὸν ἀεισαίμην ςυγερῷ θανάτοιο τροπαῖον·
Μοῖραν τ᾽ οὔτ᾽ ἀγαθοῖς ἤπιον, οὔτε κακοῖς·
Ἀνδρομάχης ὡς θρῆνον Ὅμηρος ἄειδε, θέλοιμι
Κἀγὼ τῆς ΑΝΝΗΣ ἐσομβρίοισι λαλεῖν,
Καὶ τεὸς ἡμετέρας ἐν Μώσαις, Δάνιε ζῆσαι
Ἐς τε Κασίγνητον, κὴ Παράκοιτιν ἔρως.
Ἀλλ᾽ ἐπεὶ οὐκ ἄντα δύναμις, καλὰ δάκρυα χεύσω,
Καὶ τὸ δέον Μώσαις δάκρυσιν ἐκτελέσω.

Gilman Wall, Aul. Pem. Alumnus.

EN! deſideriis icta fidelibus
Abreptum repetit Patria Principem,
Incuſatque Deos heu nimis aſperos
Præclarè temeraria.
En! Regina Sui & muneris immemor
Sacri, dilacerat veſtibus illitum
Aurum purpureis, & revocat prece
Multâ non revocabilem.
Jam ſolum Viduæ nomine flebili
Gaudet, nec toties ſe ſuper Hoſtibus
Victricem memorat, *ductaque per vias*
Regum colla minantium.
Victrix ANNA, ferox cui *Lodoix* minor
Crebro ſuccubuit, victa doloribus
Succumbit, miſeris obruta lacrymis
Nunc emergere vix potens.

Charum

Charum olim Puerum Patris imaginem
Mors à Sollicitâ diripuit cita,
Nunc dulci puero dulcior & pater
Non tardâ ſequitur nece.
Sed cur nos lacrymis exanimas tuis
Mater ſacra? tuos reſpice filios,
Et fletu aſpicies arida lumina
Nec flendo Saturata adhuc.
Inſtat *Malburius* vindice dextera,
Hoſtilique ſuas ſanguine lacrymas
Miſcet Victor ovans: en fugiunt, cadunt
Galli, Victima Principis
Non indigna rogo. Pergito, Dux bone,
Sic lugere juvat: perfice Nobili
Forti pectore opus, ſanguine *Gallico*
Pulchras exequias dabis.

Johannes King, Aul. Pemb. Alumn.

DIDONI chara in ſomnis adſtabat imago
Conjugis abrepti, talia viſa loqui:
"Tu flens in lacrymas abſumis lumina, nec Te
"Gloria quæ maneat poſt mea fata vides.
"Orba viro *Tyrium* gaudebis creſcere nomen,
"Atque reges auctos Amplior Ipſa Tuos.
"Mitte queri nimium; cum non caruiſſe *Sichæo*
"Haud detur, ſaltem ſic caruiſſe velis.
Ut data pro Sponſo eſt *Carthago* maxima rapto,
Cum *Tyrium Dido* fleverat ægra Virum:
Munera ſic ANNÆ, at tanto majora rependant
Dî, quanto minor Hoc Ille *Sichæus* erat.

Guil. Blakiſton Bowes, Trin. Coll. Socio-Commenſ.

In Obitum Sereniſſimi Principis GEORGII Daniæ, *Magnæ Britanniæ Archithalaſſi.*

DUM pia defunctum luget *Brittannia Danum*,
Et gemit Amiſſum turba marina Ducem,
Nereus, *Nereideſque*, & cætera Numina Ponti
Augent turbatum fletibus ægra ſalum.

EPICEDIUM

Ipſa *Thetis* juſtis indulget mœſta querelis,
Iras queſta *Jovis*, Funera queſta Ducis.
'Quid miſeram toties, Pater, alta ſilentia cogis
Rumpere? quid toties flere, fuiſſe Deam?
'Scilicet ut ſtragem doleam furiata meorum
Æternam, & Numen nil valuiſſe meum?
'Credideram oblato *Parcam* exorâſſe *Shovello*,
Eheu! pro imperio victima quanta meo!
'Credideram *Britonas* tutos jam munere tanto;
Omnia Reginæ læta futura meæ.
'Ecce ſuas iterum inſtaurat *Parca* invida clades,
Exercetque iras ambitioſa ſuas.
'Jam rapuit Solum, Qui damna rependere poſſet,
Et reparare meas Qui bene nôrat opes.
'Omnia, quæ poteram ſperare, expleverat Unus,
Ille mihi Magni *Nereos* inſtar erat.
'Ille meis dederat fulmen navale *Britannis*,
Inter roſtratos Major *Agrippa* Duces.
'Ille meum primus voluit clareſcere Numen,
Dum præſens noſtram nobilitaret opem;
'Ille æternavit; ſuaque addens numina noſtris
Perpetuum æquoreæ jus dedit eſſe Deæ.
Plura, gemens dictura fuit, cum ſquallidus ora
Neptunus mediis extulit uda vadis.
'Mitte Tuas, inquit, lacrymas, *Theti*, parce querelis,
Nec plores GEORGI fata ſecunda Tui.
'Ille Tuus, Meus Ille, ſuo monſtrante *Brahæo*,
Inſeritur cœlis *Arctica* ſtella ſuis.
'Hinc claſſem in *Ruſſas Cynoſura* benignior oras
Diriget, inque Tuos, *Cimbrica* Terra, ſinus.
'Hinc erit orbatæ tutela potentior ANNÆ,
Anglaque præſidio proteget arma novo.
GEORGIUS, hinc, *Sanctuſ*que ſibi Cognominis illinc,
Hic aderit *Caſtris*, Claſſibus *Ille* Tuis.
'Nec dubites, quin ANNA tuas fulcire ruinas,
Atque novos poſſit ſuppeditare duces:
'Seu jam *Pembrochio* curam committere Ponti
Malit; quantum humeris convenit illud onus!
'Nec minus hinc charos tutabitur almus *Hibernos*,
Legibus ornârat quos modo, claſſe tegens.
'Seu præerit noſtris Heros *Orfordius* undis,
Heros, Imperii gloria viſque mei.

'Suf-

'Suſcipiet gratæ bene cognita pondera molis
Impiger, & Solium fulciet Alter *Atlas*.
'Ille *Anglum* extendet nomen, gentemque marinam;
*Brittannam*que trement ultima regna *Thetin*.
'Notâ iterum *Gallum* vexabit claſſe Tyrannum,
Solem jam Occiduum fulmine & igne petens.
'Illum ſollicitis jam expoſcit *Iberia* votis,
Ruſſelii ex Ipſo nomine ſperat opem.
'Hinc decus amiſſum, violataque Jura reduci,
Hinc putat *Auſtriacos* poſſe redire ſuos.
'Ut, Qui firmavit CAROLO ſua Sceptra Secundo,
Nunc eadem reddat, TERTIE, Sceptra Tibi.

Abrahamus Francke, A. B. Trin. Coll. Socius.

SÆVIT Hyems, nec prata virent, neque frondibus arbos
Ornatur, ſolito nulla decore nitent.
Miraris? ſub nube latent duo Lumina mundi:
Fato ſuccubuit GEORGIUS, ANNA dolet.

Harriſon, Coll. Magd. Alumn.

INTER Triumphos atque victrices manus,
Cum gaudium ingens pectus omne invaderet,
Ingentiuſque faceret expectatio;
En derepente maximum infortunium
Acceſſit. Heu quam fluctuant rerum vices!
Hominumque vitam ut miſcet & *ſpes* & *dolor*!
Magna eſt dolendi cauſa. Non adeo tamen
Magna eſt, ut animi haud ſuperet ingens firmitas;
Bene præparata mens & in duriſſimis
Rebus ſtat uſque ſtrenua, ac conſtans ſibi.
Quin ergo, Solii ô dulce & egregium decus,
Cui tanta *pietas*, & *fides* tanta aſſidet,
Tibi parce, fata nec nimis luge, tuo
Pro more patere at fortiter; ne, dum foris
Hoſtes ubique ſubjugatos plaudimus,
Illi viciſſim Te domi victam obſtrepant.

Ric. Croſſinge, S. T. B. Aul. Pemb. Soc.

EPICEDIUM

EURYDICEN ſuperis *Orpheus* ut redderet oris
Dicitur infernos vivus adîſſe lacus.
Immatura *Alceſtis* obît, ne viſeret *Orcum*
Admetos Dominus, lævis *Apollo*, tuus.
Sed non uxorem ſoboles *Oeagria*, ſed non
Ardebat *Peliæ* filia clara virum,
Quanto ANNAM dilexit amore GEORGIUS, ANNÆ
Quanto alternanti gratus amore fuit.
Invidit *Libitina* toris, & vincula ſoli
Quæ poterant morti cedere, morte cadunt.
Dania plange Virum tibi, quo repetente, *Suecûm*
Ex medio Frater Sceptriger ære redît.
Plange, *Britanne*, Virum tibi, quo conſorte laborum,
Ex Solio fulſit clarior ANNA ſuo.
Quid tantos nunc te juvat exegiſſe Triumphos,
Angliaci lumen præſidiumque ſoli?
Quid vel *Danubii* pacaſſe binominis undas,
Vel vix volventis corpora *Franca Padi*?
Quid *Scaldin Getum*que tuis decoraſſe Tropæis,
Atque *Tagus* quas, quas fundit *Iberus* aquas?
Dum magna externis, bona dum reſonaris in oris,
Dumque *Europa* tibi jura recepta refert;
Fles abrepta domi quæ te fecere beatam,
Lætitiâque, aliis quam facis, una cares.
Crudeles vitæ trahitis quæ fila ſorores,
Et nigræ nimium ferrea regna plagæ,
Debuit hoc vobis ſcelus haud licuiſſe, ſacrato
Debuit huic capiti parcere veſtra manus.
Aurea ſi poterat rigidum cor flectere virtus,
Si vel amaſſe homines, vel timuiſſe Deos;
Longe erat hæc longe digniſſima flere ſuorum
Haud quenquam, haud unquam flerier ipſa ſuis.
Incolumi meruit ſemper gaudere Marito
Per quam tot ſponſæ non caruere viris.
Incolumi meruit caput altum tollere prole
Per quam tot patribus pignora ſalva manent.
Indole ubi tantâ ſoboles numeroſa? GLOVERNUS
Vel ſolus multis millibus æquus ubi?
Parcere ſi patri haud fas, natos reddite. Patri
Parcite, ſi natos reddere, fata, nefas.

Heu

Heu precibus fruſtra limen tentamus *Avernum.*
Immoto clauſæ ſtant adamante fores.
Ivit iter Princeps iter irremeabile *Lethen*
Trans tacitam, & piceæ ſtagna novena ſ
Dextera felices qua ſemita devehit umbras
In nemus *Elyſium* lætificaſque plagas,
Qua reſonum volucres concentibus aera mulcent,
Et lymphæ tremulo murmure dulcè fremunt,
Pandit odoriferas *Zephyrus* qua blandior alas,
Et totam pingit *Flora* perennis humum,
Sponte viret caſia, arridetque innubilus æther,
Et brumâ ſine ver, & ſine nocte dies.
Occurrunt, numeroſque piûm gratantur adauctos,
Deducuntque Umbram per loca amæna novam
Eximii Heroes, Patriæ præſtantibus auſis
Daniacæ æternum qui peperere decus;
Gotricius legum, generis fundator *Odinus*
Quem fœcundo *Aſie* nutriit ora ſolo,
*Gormo, Ubba, Olaviuſ*que duces, duroque *Canutus*
Nobilis *Edmundo* conſeruiſſe manum,
Nobilis indomitos *Slavâ* cum gente *Suecos*
*Saxonidaſ*que ſuo ſuppoſuiſſe jugo.
Illic *Waldemaris* patriis quæ maſcula ſceptris
Norvègi adjecit frigida regna viri,
Illic *Rollo* ferox generum quem maluit impar
Gallus, & *Haroldi* cæde *Wilhelmus* ovans,
Illic *Sicelidi* notus *Tancredos* utrique,
Turgeſius Jerno, Tu, *Bohemunde*, *Syro.*
Vos quoque non comites umbræ aſpernantur avitæ
Blinhemium functis queis tenet oſſa ſolum,
Rameliis qui victores cecidiſtis in arvis,
Quaque *Aldenardis* ſanguine terra calet.
Aucti omnes, ſed honore GEORGIUS omnibus unus
It propter thalamos auctior, ANNA, tuos.
Non ſua ſic tollit *Tithonum Aurora* maritum,
Non ſic *Æaciden Pelea* diva *Thetis.*
Nec populo ſic *Anchiſen* ſecernit, *Adonin*
Nec ſic *Idalii* gaudia noſſe tori.
Tolle ergo indignas animâ felice, querelas,
Quique tuum luctus non decet, ANNA, Virum.
Redde ſerena ora *Angligenæ*, queis nube dolorum
Oppreſſis fruſtra *Phœbus* ab axe nitet.

EPICEDIUM

Orba licet, vidua, ANNA, licet, porro, *Inclyta Mater,*
Porro, ſed opto diu jam magis, *Uxor* eris.
Nam vir erit populus, ſoboles tibi fida *Britanni*
Qua late auſpiciis gens ſumus una tuis.

Tho. Jones, A. M. Coll. Regal. Soc.

PRINCEPS
Majeſtate vere Regiâ,
Probitate morum exploratiſſimâ,
Caſtitate integrâ atque illibatâ,
(O raram inter Regum aulas avem!)
Sereniſſimus GEORGIUS
Flendus omnibus
Deceſſit.
Vixit Ille egregium aulicis exemplar,
Nec tanto illis major vixit, quanto melior.
Studioſus Cleri,
Apoſtolicæ Eccleſiæ Fautor non inſtrenuus,
Pars non Spernenda,
Britannicæ.
Obiit & Dominus, & Frater, & Conjux deſideratiſſimus,
O Utinam & Parens!
Nunquam Ille malorum opprobria ferendo vicit,
Factus per inimicos illuſtrior,
Scilicet quia nullos habuit,
Suâ virtute non odiis hoſtium conſpicuus.
Non Ille honores ambitioſe affectabat,
Ideoque honoratior.
Magnificos honores potuit fugere,
Effugere non potuit.
O Te, Princeps Illuſtriſſime,
An imperia recuſantem ſtupeat magis
An gerentem, neſcit animus;
Qui pelagi potens,
Dum terreſtri detonuit ANNA prælio,
Navali vix minor detonabas.
Quem nunc Dominum pelagus dignabitur?
Quis niſi *Penbrochius*
Neptunum poſſit *Britannicum,* aut

Medi-

Mediterraneum domitare *Tritona*?
Jube, impera, Regina,
Jube tantum non minaciter
Iisdem virtutibus hostes mari exigere
Quibus olim GEORGIUS.
Quis credat ad res tantas natum
Tenero amori
Et maritali pietati vacare potuisse?
Talis erga Conjugem fuit,
Quales alii Principes se futuros tantum Spondent;
Nec mortalium quisquam, præter ANNAM
Fidelioribus ictus desideriis.
Ah! lachrymulis, Regina,
Parce nihil profuturis;
Parce luctu gemituque;
Non enim ulla Suspiria exules revocabunt Spiritus.
Redditur Ille,
Ab Aula *Britannica* ad Cælestem,
A Tui ad Angelorum Consortium.

Johan. White, A. B. Coll. Div. Joh. Evang Soc.

Ἐμοὶ φερέφρων, Ἀγγὲ
Ἐκυσίως ἀείδε
Τί μὴ θέλει ἑαυτῇ
Ἁ Μῶσα, δάκρυσιν πί
Πάλαι γελῶντες ὤπες
Ἐρυθειῶσιν ὕτως;
Ὅταν ᾖ τὺς ἐπαίνυς
Θεῶν, ἐοικότων τε
Θεοῖς, λέγειν θέλοιμι,
Σιγᾷ κ᾽ ὐ βοηθεῖ,
Ἐμ᾽ ἀλλὰ τὴν ἐρεννῶν
Ἀνάπλεων ἐπείγει
Τὶ μεμψίμοιρον ἆδειν;
Τέθνηκε δὴ Μενάλκας
Ἐρέσμιος φίλος τὲ,
Ὃς ἐμβιῶν νομῦσι
Κόρυις βίον τ᾽ ἔδωκε.

EPICEDIUM

Φίλαι ᾗ Μῶσαι αὐτῦ
Τάφῳ ἐπιγεάφητε,
Ὅ κεῖται ἐνθάδ' αὐλῆς
Δίκης, ὁ τῦ Ἔρωτος,
Ἐπιστάτης καὶ ὅπλων,
Θεοῖς ἅπαν' ἐοικώς.

Hawkins, Coll. Div. Johan. Alumn.

In Obitum Illuſtriſſimi Principis GEORGII, *Regii Conjugis.*

INTERIIT Princeps. At non, moribunde GEORGI,
Non cunctare? Obitum quî feret ANNA Tuum?
Natos, heu, ſequeris Conjux! poſt funera Funus,
Quo Spes manca prius, funditus Ipſa perit!
Nunc luctu cingis Dilectam; & Sponſa Parensque
Mœrore exagitat Regia corda nimis.
Siccine Tu Viduam, ſic, Heros, deſeris Orbam?
Te licèt uſque ſuum nocte dieque vocat.
Ah! non Imperium, non Tot fera Bella fatigant,
Quot torquet curis Mors Tua Dulce Caput:
Et Virtus, Pietas, quævis Tua Gratia, Menti
Nunc ceu Tela hærent, cuî placuere modo.
O Princeps! pectus generoſum, vitaque Terræ,
Dum vîxti Uxoris vita ſerena Tuæ!
Soſpite Te, Ut varii vicit Certaminis *Hydram*?
Juncta Tibi, Ut populos junxit amore ſuos?
Sed Regina gemit pondus, jam Sola, Coronæ;
Inque Tuo Mundi pulvere ſentit Onus.
Nec Gemmæ ſplendent Illi, nec Purpura fulget;
Lacryma ſed Gemmas, Planctus & Oſtra facit.
En, Qualis plorat circumdata veſtibus Albis?
Et velut *Alpinâ* de nive fundit aquas?
Candida Te quantum deflet? Sic, tempore *Noïs*,
Triſte minis Cœlum ſed ſine Nube pluit.
Audiat at tandem quaſi vocem Diva Mariti,
Diſcat & Hæc potius nunc Documenta Viri;
Quòd Res Terrena eſt Magis, atque Exilior Umbra,
Quam quæ Defunctum Te modo flenda premit.

Nempe

CANTABRIGIENSE.

Nempe Thronos Tu ideo renuiſti Spiritus Ingens!
Cum fruſtra ambierant Plurima Sceptra manum.
Brachia ſed Felix Divinæ ſeligis ANNÆ,
Utpote quæ Superis Te propiora beent.

Thom. Barker, A. M. Coll. Madg. Soc.

Ad REGINAM.

DUM luit infidæ *Lodoix* perjuria linguæ,
Et refugit fulmen conſcius, ANNA, tuum.
En majus certamen adeſt: victoria major;
Teque nova, abrepto Conjuge, palma manet.
Tot luctus numerare licet, tot damna *Britannis*,
Quot licuit partus enumerâſſe tuos.
Tu tamen ingenti toties ſub pondere ſurgis,
Clarior, atque ipſis auctior, ANNA, malis:
Sola tuos *Niobe* infelix æquâſſe dolores
Fertur; at ærumnis diriguiſſe ſuis.
O paribus jactata; tuos compeſce dolores,
Neve ſinas habeat fabula ficta fidem.
Ægra ſuo languet concuſſa *Britannia* luctu,
Quem queritur lacrymis te geminare tuis.
Parce tibi tandem, Fortunâ ô major utrâque,
Et tua mulcendo vulnera, noſtra leves.

Tho. Trevor, Trin. Coll. Commenſ.
Fil. natu Max. Hon. *Tho. Trevor*, Eq.
Aur. Comm. Banci Cap. Juſticiarii.

TOTUM ſub Latias leges cum miſerat orbem,
In ſe *Roma* manus vertit, & occubuit.
Si Regina tuos poteris ſuperare dolores,
Non modo Tu victrix: Te quoque major eris.
ANNA & *Roma* ſuis latè viguere Triumphis,
Orbis victricem ſenſit utrinque manum.
Jam licet expendas quæ ſit Victoria major
Roma ſuâ cecidit, ſurgit at ANNA Suâ.

J. Paris, A. M. Trin. Coll. Soc.

EPICEDIUM

LINQUAS, *Melpomene*, Fulminei Patris
Menſam Nectaream, cum Citharâ Tuâ
In Terras properans: Nunc opus eſt modis,
Regno qualibus *Orphea*
Dicunt *Tartareo* Conjugis exitum
Ploraviſſe ſuæ; Cùm ſtupuit Lyram
Fuſi *Tiſiphone* ſanguinis immemor;
Cum parſit Jecori Senis
Vultur perpetuo; Nec rapuit Rota
Illuſum vacuæ Nubis Adulterum;
Cum ſprevit ſitiens Flumina *Tantalus*
Auſcultantia prêndere.
Sed Blandus Fidicen non potuit Lyrâ
Extorquere Deis *Eurydicen* ſuam;
Auras ad ſuperas ducere non licet
Emptam Carmine Conjugem.
Fruſtra eſt; Nec vacuas, poſt Cineres, redit
In Venas Animæ purpureus Liquor;
Non rident Oculi, nec Labiis Decor
Priſcus redditur, aut Genis.
Si Scirent Superos Carmina flectere,
Te non opprimeret Perpetuus Sopor,
Regum dulcis Honos, & Soboles, modo
Quem Mors abſtulit Invida
Reginæ thalamis; Sed *Lacheſis* vetat,
Quenquam bis *Stygium* viſere Navitam:
Lethi Porta patet, ſed venientibus;
Retro ferre pedem, nefas.

Car. Tremayne, Aul. Pemb. Alumnus.

In Obitum Sereniſſimi Principis Danici.

ERGO incerta fluunt miſeræ ſolatia Vitæ,
Nec Cœlum obſcurâ fulget ſine nube ſerenum:
Undique felicis reſonabant gaudia belli,
Et circum ardebant feſtis modo Compita flammis;
Mox Regina dolet, dolet *Anglia*, funera mœſti
Ploramus, cinereſque piè Veneramur adempti
Principis, atque Urnæ meritos libamus honores.

Gloria

Gloria pacis erat, deſunt neque præmia belli:
In medias acies, inter denſoſque tumultus,
Militis oſtendens ſimul artem, & pignus amoris,
Irruit intrepidus, fratremque ex faucibus atræ
Eripuit mortis, binos egitque triumphos.
Attonitas nuper gemitus defertur ad aures.
Occidit, & fatis iterum jactamur iniquis.
Jam quantos Eheu! quantos *Winſoria* luctus
Effundit, miſerè Proceres Dominumque repoſcens;
Merſa dolore pio *Thameſin* dum fletibus auget?
Sic nimis extendit ſævos *Libitina* Triumphos;
Morborum incedit nigrâ comitante catervâ,
Lethiferaſque vias, plorandaque funera Genti
Latè diffundit: Sed quid nos fecimus *Angli*,
Quid ſcelus infandum, quæ crimina tanta fuerunt,
Ut tantum invideant *Parcæ*, Regniſque ruinas
Adverſæ ſtatuant? Virtutes talia poſcunt
Præmia? quid dixi temere hoc? Divina Voluntas
Ad patrias ſedes, melioraque regna recepit.
Si quid fidus Amor, Probitas, Clementia poſſunt,
Pro Cœlo terram mutauit GEORGIUS; arces
Ætherias ſublimis adit, ſuperoſque reviſit.
Tu *Regina* tamen, *Britonum* ſpes ſolâ, dolorem
Jam tandem abſtergas: Satis ah! nimiumque dediſti:
Nec placeat lacerare novis, quæ cruda fuerunt
Vulnera, crudeles luctus nec luctibus addas.
Fulmina tunc vibret *Lodoicus* inania belli;
Perfida *Roma* ſuas ſteriles exerceat artes;
His conjuncta malis Societ Fanatica turba;
Nil rabies poterit; Se'cli dum Gloria noſtri
Gaudia ſecuris molitur longa *Britannis*,
Armis defendens patriam, Virtutibus ornans.

Joſ. Clarke, A. M. Coll. Magd. Socius.

FLEVIMUS abreptum crudeli morte GLOVERNUM,
Ruptaque (proh!) durâ mollia fila manu!
Flevimus & Regis nimis aſpera fata WILHELMI,
Nemo quibus ſi non ANNA tuliſſet opem!
Credidimus toties placatas ſanguine noſtro
Invidiam triſtes depoſuiſſe Deas:

EPICEDIUM

Sævit adhnc Mors atra; & Te, mitiſſime Princeps,
Te quoque jam, nobis tertia damna, rapit.
At de Te longo ſperavimus ordine Reges,
Vovimus & proli Sceptra *Britanna* tuæ:
Occidis! atque tuo jam rurſus fata GLOVERNI
Albion in letho triſtis & ANNA dolet:
ANNA, olim felix fœcundaque, ſed neque mater,
Sed neque jam conjux Te moriente, dolet.
Quid nos bella ſecunda? quid arctis mœnibus hoſtes
Pulſos, atque fugæ terga dediſſe juvat?
Quid juvat, occiduo toties ex orbe petitam
Spem *Galli*, auriferas diripuiſſe rates?
Quid nos fluxa juvant & lubrica gaudia? in uno
Principe cuncta ſimul ſuſtulit atra dies!
Mite ſed ingenium ſummæque in pectore dotes
Tam cito ſpem dederant non potuiſſe mori:
Vivere debueras; quia per Te reddita Fratri
Et vita & meritis debita Regna tuis:
Spreviſti & Regnum; cum Te *Polonia* Regem
Votis atque omni ſolicitaret ope:
Sed vetuit Pietas, & flecti neſcia Virtus,
Carior & Sceptris Imperioque Fides.
Occidis! haud populi Spes unius; omnibus unus,
Sed *Dano* ante omnes *Angliaco*que, dolor!
Quis nunc in luctu tanto ſolabitur ANNAM,
Curarumque ingens pectore ſolvet onus?
ANNA carere malis debet: ne triſtia tangant
Hanc Animam, in lacrymas *Albion* omnis eat:
Albion omnis amore pio quoſcunque labores,
Triſtitiæ ne quid ſentiat ANNA, feret:
Huic ſaltem raptos à Conjuge Fata rependant
Longos deque colo candidiore dies.
Tu, Princeps patrio nimium citò reddite cœlo,
Nautis, ut quondam, militibuſque fave:
Navibus & timidis præter vada, præter iniqua
Saxa, tuo lætam Sidere pande viam:
Tu, cum fœdifragos hoſtes nos omne per æquor
Quærimus, *Angliacæ* dirige Claſſis iter:
Tu *Gallos* iterum fictumque repelle *Jacobum*,
Cum regna infami non ſua fraude petit.

Henricus Mannyng, A. B. Coll. Regal. Socius.

Ad

CANTABRIGIENSE.

Ad REGINAM.

ANNA, precor, miserere Tui, miserere Tuorum:
Cur terit indignas lacryma crebra genas:
Vitam sustineas unam. quæ cætera cuncta
Sustinet; hanc populo da, Veneranda, tuo.
Flebilis in mediis victrix *REGINA* Triumphis
Hoc primum sævo vulnere victa jaces.
Immerito: dum Regna tenet Tuus Ille serena;
Dimidiâ saltem parte Beata manes.

Hen. Jenkinson, Coll. Magd. Commens.

QUALIS ab *Emathiæ* campis, *Pellâ*que subactâ
Æmilius rediens, media inter gaudia *Romæ*
Raptos ploravit natos pater, ingemuitque
Mercede haud leviore Deos donare Triumphos:
Talia, capta suas dum turres ardua tradit
Insula, victrices lamenta dedere catervæ,
Mœstæ *Overkerki* nuper, nunc funere GEORGI,
Cumque suis lugent insurgere damna tropæis.
Vincimur, heu! nil *Parca* rapax suspiria curat,
Multa licet Sponsum revocent ardentia vota
ANNÆ, & flebilior gemitus, quam morte *Sichæi*
Tu, *Phœnissa*, dabas: lacrymis si numina fati
Inflecti possent, etiam his inflexa fuissent.
Alma *Venus*, tædæque autor *Saturnia Juno*,
Tuque *Hymenæe* Pater, queis vincla jugalia curæ:
Dicite, Nôstis enim Vos Aurea sec'la, an Amantes
Vidistis primos flammâ potiore beatos,
Quam face quâ GEORGI pectus, quâ Regia Conjux
Exarsit, Sponsique immensum æquabat amorem?
Haud *Pelei Thetidis*que domus felicior esset,
(Diva licet *Thetis*, & *Pelei* genus ab *Jove* summo)
Ni fati invidiâ noster præreptus *Achilles*
Parvulus orbatam complêsset fletibus Aulam.
I, *Thamesi*, *Arctoos* & subterlabere fluctus,
Atque novos *Britonum* cognata ad littora defer
Planctus, qua pubes undis dominatur avitis

Cimbrica, *Danorum*que *Albis* disterminat oras.
Te referente suos discat socia Aula dolores,
Et nostros; nec nos flendo certâsse pigebit.
Dic ANNÆ imprimis inconsolabile vulnus,
Quale nec invisus *Lodoix* inflixerit armis,
Nec Juvenis, celerique fugâ, *Zephyris*que secundis
Lætatus, classi & *Gallo* male fisus amico.
Amens! qui Diadema, & non violabile Sceptrum
Sperârat, Regnante ANNA, Tutante Marito.
At frustra *Britonum* tentavit littora, & illas
Quas *Tethys* vallabat aquis circumflua, quasque
GEORGIUS invictis præcinxit classibus oras.
Magna Parens patriæ, quam rapto Conjuge mœstam
Jam deflet socios admiscens patria planctus:
Ecce, Tuos *Britonas*, quos Tu modo Fœdere grato
Junxisti, pia nunc jungit concordia fletûs.
Te placidam accepit Sociata *Britannia* Matrem,
Utque vicem Sobolis, sic & ferat Illa Mariti.
Sacrum hoc Conjugium firment modo Numina lætis
Auguriis, & quod thalamos crudele priores
Orbavit, sero hæc solvat Connubia Fatum.

Nic. Clagett, A. B. Trin. Coll. Bibliothecarius.

NEC patitur pietas ANNA lugente silere,
Nec fari in tanto Musa dolore potest.
Ergone, quod solum potuit, manus invida Fati
Dirupit casti vincula grata tori?
O quam Diva fuit proprio dignata cubili,
Quem solum AURIACO fata dedêre parem!
Cognatis meruit tua Virtus reddier astris,
At meruêre aliquam publica vota moram.
In medio plausu lacrymas ciet ANNA, triumphat
Regina, at Conjux ingemit orba viro.
Communes sociant luctus *Danus* atque *Britannus*,
Perdidit Hic gentis Præsidium, Ille Decus,
Extruxit monimenta Tibi pia cura tuorum,
Morte carens Virtus his meliora dabit.
Conservant Cineres hæc marmora, marmora Nomen,
Cætera deficient tempore, crescet Honos.

Gentem

Gentem ô felicem? pariter, ſi Prole ſuperſtes
Eſſes, ſi dulcis viveret *Aſcanius.*
Divinam hic Matrem ſequeretur *paſſibus æquis*
Summaque queis fruimur gaudia firma daret.
Tum victrix fuſo meritas ex hoſte referret
Dextra ſibi laurus, otia læta ſuis.
Nec querimur, cum regnet adhuc, confeſſaque Numen
Ipſa, *Jove* amoto, fulmina *Juno* vibret.
Averſum tenebris teſtatur *Cynthia Phœbum,*
Noſtræ eadem ſemper luxque calorque Deæ.

Thomas Wentworth, A. M. Socio-Com. Coll. Div. Joh.

CYNTHIA quum primum plenâ turgeſcere luce
Cœperit; heu! *Phœbus* nullus in orbe micat.
Haud duo nempe ſimul cœleſtia Lumina mundus;
Phœnices tulerit Terra nec una duos.

H. Archer, Aul. Clar. A. B.

Ad Epiſcopum ELIENSEM.

EN! Te, Sancte Pater, ſeu *Phœbe* ſalutifer audis,
Anglia ter charo reſpicit orba Duce.
'Ah! modo (triſtis ait) quam vellem habuiſſe ferentem
'Te Medicaſque preces, Te Medicaſque manus!
'Quicquid Sola poteſt fecit Medicina, nec ullum
'*Phœbeæ,* fateor, defuit artis opus.
'Tu ſed in auxilium *Phœbum*que *Jovem*que vocaſſes,
'Numinis & gemini dextra tuliſſet opem.

Ward Gray Aſhenhurſt, A. M. Trin. Coll. Soc.

DUM *Britonum Auſoniis* dominatur Claſſis in oris,
Quamque Sibi *Lodoix,* tam Sibi *Papa* timet,
Quod procul a Patria, nimis O Tibi, *Roma,* propinquæ
Tutâ nunc hyement in Statione Rates,
Dum Regis Sponſam *Tagus* accipit omnibus undis;
Ut prius expanſis cepit *Iberus* aquis;

EPICEDIUM

Concelebrantque duæ Regum Connubia Gentes,
O quam diverſum nos meditamur opus!
Quæ Regem interea Pelago, quæ Fata Maritum
ANNA, Tuo dulcem præripuere Toro?
Per Vos occiduis cum ſic *Hymenæus* in oris
Illuſtret Tædis Regia Tecta ſuis;
Æquum eſt ut Veſtros *Libitina* abrumpat amores,
Funeream & Thalamis inferat atra facem?
Vos, Sociæ Gentes, (inter tot læta querelis
Siquid, & afflictis rebus adeſſe vacat,
Vos noſtros audite, pareſque remittite queſtus,
Tuque riga lacrymis, O *Hymenæe*, genas.
Si ſemel atque iterum *Heſperias* ſervaverit urbes
Claſſis ab *Angliacâ* milite fæta plagâ;
Tum quoque ad *Heſperiam* ſi miſerit *Anglia* naves,
Vento vela daret cum Puer iſte ſua,
(Demens, qui maris imperium Sceptrumque *Britannum*
Sperabat Timidas poſſe parare Rates)
GEORGIUS & Sociis pariter proſpexit, & ANNÆ,
Claſſem inſtauravit pervigilando novam.
Dicite Vos, Socii, certum hinc quia pignus habetis,
Fœdere conjunctos qua colat ANNA Fide:
Qua colit Illa Fide Vobiſcum Fœdus, eâdem
Jura Sacri coluit Sponſus & Ipſa Tori.
Vos Reges Nuptæque novæ, ſic ſemper ametis,
Sic ipſo creſcat tempore Veſter Amor.
Angliæ, & *Europæ* Columen, Regina, Triumphos
Hæ, velut auxerunt participando Tuos;
Sic Luctum minuant; Tua ſint, quæ proſpera cedunt;
Vult Populus Totum, quod dolet, eſſe ſuum.

Tho. Pilgrim, A. M. Trin. Coll. Socius.

QUALIS peremtum vindice fulmine
Cum flevit, auſum non ita creditos
Tentare currus, igneoſque
Quadrupedes *Phaëthonta Phœbus*!
Caliginosâ nube reconditus
Caput timorem gentibus intulit,
Et nocte demerſum profundâ
Attonitum tremefecit Orbem:

Europa

Europa talem mœsta *Britanniam*
Videt, recenti vulnere languidam,
Nec usitatâ inter triumphos
Luce suâ radiare Divam
Mirata, cœlum sollicitâ prece
Jamjam fatigat: Numinaque invocant,
Tuasque formidant catenas
Exanimes, *Lodoïce*, Gentes.
At Tu superbus, Tu levior malis
Incede nostris, agminaque instrue
Classesque ridendus fugaces,
Dedecorum pretiosus emtor.
Rursus *Britannum* (*quidlibet impotens*
Sperare) Regnum, Sceptraque somnies
Germana rursus, & cruentos,
Bleinhemiæ renoves Triumphos,
Cum inter tubas atque arma sonantia
Fluebat *Ister* sanguine turgidus,
Fugamque *Gallorum* pudendam
Erubuit generosus amnis.
At O labantis vulnera Patriæ
Lenire præsens! comprime flebiles
Regina luctus, O *Britannæ*
Grande decus columenque Gentis!
Sat, ANNA, Fatis, sat lacrymis datum.
Jam rursus iras *Gallia* vindices
Formidet; & Tuos suorum
Funeribus numeret dolores.

Robertus Johnson, A. B. Trin. Coll.

Φεῦ, θανάτοιο βέλος δεινῶς φθισήνορος ἕλον,
Φῶς βυλὴν συγερῆς πάντως ἀσεμφέα μοίρης.
Ἦ τοίνυν Κόρη ὐλομυρὴ, σιωπηδὸς ἀνάγκης,
Ἐξίσης ξύμπαντας ἀολλέας ἐξαλαπάζει;
Οὕτως γ' ἓν μερόπων γενεῇ πεπρωμένον ἐσί.
Τίπτε μυρὶ ἓν ὧδ', ANNA, φίλον κῆρ θυμὸν ἰάπτεις
Οἷτον ὀδυρομυρὴν, πολὺ φιλτάτε οἷτον ἀκοίτε;
Οἰήπερ τεύχων ἀλόχε μεμονωμυρὴν, αἴ, αἴ,

EPICEDIUM

Ἐκπάγλως σεναχῦσα, γόῳ καὶ πένθεϊ τήκῃ,
Μήποτε μὴ νεαρὸς, Βασίλιστα, μόλυνε θελάμβυς,
Ἀλλά γε μιμνήσκω βυλὴν Διὸς ἐκτετελέσδαι.
Οὐδὲ γὰ, εἰ τετύχοντο ΓΕΩΡΓΙΟΝ ὄρχαμον ἀνδρῶν,
Ἄμβροτον ἐ τετύχοντο ὁμῶς Θεοὶ αἰὲν ἐόντες.

Johan. Mitton, Coll. Div. Johan. Alumn.

In Obitum Sereniſsimi Principis.

En quàm, Longa ferens ægre Divortia, charum
Ut videat Fratrem, GEORGIUS aſtra petit!
Occurrit Frater fulgenti à Sede, piamque
Agnoſcit, ſua quâ vita redemta, manum.
Navita, quid quereris? jam tutas æquora Puppes
Alma vehent: Geminus Frater ab axe micat.

Geo. Cooke, Aul. Clar. Commenſ.

QUALITER Eoi, *Phœbum* ſolennibus aris
Dignati fulſit diâ dum lampade purus,
Suſpiciunt oculis cæcâ ſub nube latentem
Mœſtis, & taciti Numen mirantur ademtum:
Sic illum querimur raptum, cui plurima mentem
Incoluit Virtus, cœlo digniſſima Virtus,
Et ſævo tantum *Diti* licuiſſe dolemus:
Hunc querimur raptum, quem non inceſta Libido,
Quem nunquam inſanis gaudens clamoribus Ira
Turbavit, ſciſſamque gerens Diſcordia pallam;
Qui Fidus Conjux, & Fidâ Conjuge Felix
Servavit labis puros animumque torumque
Et facilem fovit tranquillo in pectore Pacem.
Cur illum rigidi dura inclementia Fati
Invidit terris? cur vis maturior *Orci*
Præripuit? non eſt tanti quod *Marte* ſecundo
Malburius pugnat *Victor*, quod fulminat enſe
Horrendo ſtrages edens, atque eripit hoſti
Ingentes Urbes, & concutit oppida bello.
Non ſi vel Solio tandem decederet ipſe

Devi-

Devictus *Lodoix*; non ſi vel Patria Regna
Victrici, faſſus *Dominam*, ſummitteret ANNÆ:
Non tantâ O *Superi* petimus mercede Triumphos.
Nec vero invidiâ Fatorum, & ſidere lævo
Si regnis depulſa foret Regina paternis,
(Diî tantum prohibete nefas) orbataque Sceptro;
Nec tum ſentiret tam ſævos pectore luctus,
Quam nunc prædulci ſentit viduata Marito.
Oceanus ploret Domini infelicia Fata
Abrepti; Oceano tantos ſi forſitan ipſi
Sufficient lacrymæ in luctus, ſi forſitan ipſe
Oceanus poterit gemitus effundere dignos.
Audiat & partûs miſerandam *Dania* mortem
Mœſta ſui; felix tam Magni Principis ortu
Communi *Angligenis* jungat ſe *Dania* fletu.
Nec tamen interea lætetur *Gallia* vana;
ANNAM alios tandem Thalamos, Tædaſque recentes
Sumere ſuadebit *Britonum* pia cura ſuorum;
Naſcetur tandem Proles, quæ *Gallica* vexet
Regna: & perjurum contundat *Marte* Tyrannum.

Hugo Lamplugh, Coll. Regal. Alumn.

Ad REGINAM.

PARCE piis lacrymis, mœſtam depone querelam,
ANNA, nec iratos, Optima, crede Deos:
Læta dedêre priùs, tibi nunc adverſa dedêre;
Sic Nebulis tegitur ſæpius alma dies.
Tu ne cede malis Victrix; velut altera ELIZA,
Sis *Eadem Semper*, ſit bona, Sorſve mala.

Johan. Amyas, A. M. Coll. Gon. & Caii Socius.

Ad REGINAM Sereniſſimam.

ACCIPE, ſed Vultu placido, quo Candida lætos
Admiſiſſe ſoles Populi gratantis Honores;
Accipe lugubres, fundit quas Muſa, Querelas,
Non ignara novi, nec Cauſæ oblita, Doloris,

EPICEDIUM

At digna *Extincti* poterint quæ Carmina Fato
Inſolitis numeris tentare Palatia luctûs
Neſcia, & uſque novos ANNAM ſibi mente Triumphos
Pingentem, aut veteres recolentem, plauſibus æquis?
Heu! non Lege datum eſt iſtâ decerpere Lauros,
Victriceſque hederas intermiſcere; Cupreſſi
Quin prope creſcentes tandem Socialia nectant
Brachia, & umbroſo deturpent Funere Scenam.
Non ita Victoris Palmam rapiebat *Achilles*,
Subriſitque videns, mœſti quin pectore Planctus,
Menti ortuſque Dolor Nubes ſuffuderit atras.
Ille animo ferventi & Cui non obſtitit uni
Troja, tamen placidum, quaſi eodem ſaucius ictu
Extinctum ſine fine dolens ploravit Amicum.
Tu quantum, Regina, magis?——
Conjugium ſi quid placidum, dulciſſima ſi qua
Caſtus Amor, noti aut certiſſima Pignora Amoris
Intus habent; hoc omne dedit Tibi Principis almi
Vita, hoc abripuit plorandi Funeris hora.
Ire ergo in Lacrymas, cœptoſque iterare Dolores
Mœſta velis; Capiti fundis dum munera charo
Debita. At immenſis, nimium pia, cedere Curis
Deſine; quippe Tuos, ac Te, Dolor obruit idem.
Triſtia & unanimes Suſpiria fundimus Omnes.
Solve Tuam, &. Populi Curam. Spes ſi qua novandi
Damna manet, quodcunque feret felicior Hora
Solamen, ſimili Mentis Nos Pace fruemur.

Timo. Briſtow, A. M. *Sidn. Suſſ.* Coll. Soc.

Ad REGINAM.

UT damnis *Libitina* tuis cumulata ſuperbit,
Et furit Auguſtis nobilitata rogis!
Quot male præripuit feſtinos æmula flores,
Et carpſit durâ, haud ſolicitanda, manu.
Hinc, Regina, tuos auſa eſt renovare dolores
Granta, tuo ac rapto Conjuge flere rogum.
Siccin' at incedes triſti ſplendore niteſcens.
Teque Triumphantem vicerit una dies?

Inſo-

CANTABRIGIENSE.

Insolitene ferent Epinicia mœsta *Camœnæ*,
Disparibusque modis *Arma Virum*que canent?
Hanc Sortem fratres olim subiêre *Lacones*,
Ut micet hic terrâ plurimus, alter obît.
Questus pone Tuos, ne tandem sola queraris,
Te salvâ, fugiet pectora cuncta dolor;
Scilicet ostendunt terris Te Fata supremam,
Quæ tot vestra malis obruta Regna leves.
Arma parem damnis referant victricia Sortem,
Et tibi dent Superi dona, negata tuis;
Diceret & Princeps tibi, qui prior ivit ad astra,
Vive tuo, Conjux, tempore vive meo.

Johan. Cannon, Coll. Jesu. Alumn.

Nondum Fata satis Sanguine Regio
Delenita manent Atria Principum?
Sacris Luxuriant invida Victimis.
Gentis nec Miseret piæ?
Frustra credidimus debita *Hylæ* tuo
Indulsura Tibi Tempora Numina?
Tristes, *Melpomene*; præcipe Nenias,
Crudelesque Deos voca.
Sic Tu Fata subis? sic Venerem *Ilii*
Fautricem Alterius deseris Unico
Te Nudam Duce, Te Sospite Conjuge,
Martis nil veritam impetus?
Jam Regina piis Icta doloribus
Venis vulnus Alit: Solus *Adonidis*
Qui desiderium mitiget, Unicum
Orbæ præsidium perit.
Quid si salva foras incolumis domi
Res est *Angligenis*? Quidve Rebellium
Evitâsse juvat Fulmina, Nobilis
Incepti Duce Fœminâ,
Si Tu, *Parca*, Triumphos ita temperes
Luctu? funeribus Gaudia tristibus
Commutes, domitoque Orbe fere, improba
Sic Victoribus increpes?

EPICEDIUM

Ne Tu cede malis, ANNA, fugit tuus
Te *Æneas* viduam, non niſi Numinis
Parens Imperio, Diſque vocantibus
  Optatum *Latium* petit.
Parcas, Alma, metu, Nuda licèt Viro,
Præſens *Angligenis* ſis miſeris *Venus*.
Tydidem metuas nec tamen Impium
  Qui vulnus *Veneri* imprimat.

Henricus Gumming, Coll. Div. Joh. Alumn.

ET Te, qui Natas poſt tot Natoſque peremtos
Unica reſtabas miſeræ ſolatia Matri,
Soſpite quo fuerat levior vel caſus IULI,
Te quoque Fata trahunt? & multo Germine rapto
Triſtis adhuc cœlo Tempeſtas ſævit, & Arbor
Abrupto lateri Fulcro timet Ipſa Ruinam?
  Quid vero Superi meruit Cariſſimus Ille?
Quid Regina Tori Conſors, nihil Ipſa, nec Ille.
Hanc Nobis infenſa requirunt Numina pœnam,
Pro noſtro patimur ſcelere Hoc: Sic Victima quondam
Mortali innocuam fudit pro Crimine Vitam.
  Quippe Illum mediis degentem amplexibus Aulæ
Illecebræ nullæ, nulli flexere Timores.
Unus erat, quem non merſum Civilibus Undis
Factio corripuit, ſtudioque favoris iniquo
In Partes traxit; non Illum Livor ocellis
Obliquis limans, obliquis læſit ocellis.
Curia ſpontè Viro plaudebat, ſpontè Senatus,
Et Populi tenuit, quem non ambivit, Amorem.
Ille facies alias, vanique Cupidinis ignes
Juſſit abire procul, Solâque Beatus in ANNA:
Illa Virum patriis quæ Forma potenter ab oris
Traxit, & auratâ devinxit Prima catenâ,
Diſtinuit Patris Forma Illa potenter ab oris,
Auratâque Virum vinxit Poſtrema catenâ.
Quis tam Sanctus *Hymen*? Qui Tædæ purior Ignis?
Quem Genialis Amor majori robore Nodum
Strinxit? ut immenſos vellet durare per annos,
Et ſeros rupto nexu terrere Nepotes.
Irrita Spes! En nos Viduatam cogimur ANNAM

Cer-

Cernere, & infando vix ah! ſupereſſe dolori.
Non centum ducti terrâque marique Triumphi,
Non Gentes Domitæ, nec captas *Flandria* portas
Oſtentans aliquâ tangunt dulcedine mentem.
Quin Tu Fida Comes Dominæ, quæ Conjuge Felix
Malburio (longumque precor ſis Conjuge Felix)
Tu properes mœſtæ Reginæ demere Curas,
Et dulci alloquio paulatim falle dolorem.
Ne tamen ah! menti Dilecta recurrat Imago
Blandfordi, comitem ſecum trahit Ille GLOVERNUM;
Inde novæ Lacrymæ, Gemituſque frequentior ibit,
Illa tuis Curis, Tu Curis Illius addes.
Non eſt, ut Matris renovet nunc ANNA Querelas,
Plus ſatis Uxor habet, ſatis eſt caruiſſe GEORGIO.
At Tu, quæ ſurgis vel nubibus æmula Moles
Vindeſora Domus, ſedes dilecta GEORGI,
Squallida jam luctu cœlo dimitte cacumen,
Malburius licet Ipſe tuo ſub fornice Ductor
Robuſto aptârit gemmata monilia Cruri,
Victoremque tua teſtudine fixerit Enſem.
Heu! nunc Heroum quam marcida Gloria pendet!
Ut ſummis ſuſpenſa tholis Inſignia nutant!
Quid Tibi jam *Pario* proſunt in marmore vultus,
Spiranteſque Duces, & Saxa calentia Vitâ?
Cum jaceat Princeps tantum reddendus inani
Picturâ, tibi quam mox, Alter *Verrio* fingat,
Atque tuos paſcat nimium ſpectando dolores.
Quidve Tibi celſi montes, & amœna vireta?
Quæ *Juno* (thalamis heu! Diva malignior ANNÆ)
Veſtivit lætis auris, atque æthere puro;
Ah fruſtra! neque enim duri vis improba Fati
Pellitur aut lætis auris, aut æthere puro.
Ecce! Infeſta Lues toties depulſa recurrit
Acrior, & diros agitans ſub corde tremores,
Vitaleſque vias, & reſpiramina claudit.
Nil valuere Artes; Tua nil jam, *Garthie*, Virtus,
Garthie, quem *Phœbus* natis magis omnibus Unum
Dilexit, duplicique inſignem reddidit Arte.
Illa potens Animam fugientem ſiſtere Dextra,
Illa potens volucris Fati ſuccidere pennas
Deficit, & centum fert infeliciter Herbas.
Sume Lyram; nam ſi miteſcat Ferreus Ille,

EPICEDIUM

Ferreus Ille tuo miteſcet Carmine *Pluto*,
Alteriuſque ſcient *Orpheî* miſereſcere Manes.
Sin ea Fata negent: ſaltem tua Muſa (redibit
Per quam defunctis Heroum Spiritus umbris)
Quot vidit Juvenis terras, Quæ Prælia geſſit,
Et *Landeſcroniæ* cantet diſcrimina Pugnæ,
Servatum Fratrem, ſervato reddita Sceptra,
Et fixum *Dano* Solium, pulſumque *Suëcum*:
At Vos *Boiniacæ* celebret ſuper omnia Ripæ,
Quantus ad AURIACI latus, AURIACoque Secundus
Intonuit, qualique inſtabat fulmine *Gallo*,
Omnia Magna loquens: Ego, quem pulmonis anheli
Peſtis agit miſerum, creberque reciprocat ore
Spiritus, & longis ſingultibus ilia pulſat
Irrequieta, tuam ſuper Urnam, Maxime Princeps,
Hos gemitus ah! vix, vix Hæc Suſpiria duco.

Geo. Sewell, Coll. Petri Alumn.

In Obitum Principis & Victoriam quæ ſequebatur.

ELYSIAS vix dum ſedes intraverat Heros
Danicus, & magnos ſederat inter avos;
En *Stygio* numeroſam exponit litore turbam
Cymba Senis! (nunquam plenior illa fuit.)
Teſtantur tardi greſſus veniſſe coactos;
Et pudor & ſolitæ vana cupido Fugæ.
Pectore pulchra quidem pauci, ſed maxima longe
Signa ſuper Tergum pars inhoneſta gerunt.
Claudebat lentum *Caducifer* ultimus agmen;
Quærebatque locum quo novus Hoſpes erat.
Quem ſimul invenit recubantem in valle, (jacebant
GLOVERNUS juxta *Churchiliuſ*que Puer)
Acceſſit, Belloque Animas; ait, aſpice Victas:
Hoſtes, en, *Britonum* quanta ruina manet!
Has, Bellatori, Bellatrix Ipſa parentans,
Has mitti inferias imperat ANNA Tibi.

Robertus Clarges, Coll. Trin. Socio-Commenſ.

CEU

CANTABRIGIENSE.

Ceu ratis amisso fluitat jactata Magistro,
Et lacera; exoptat Terra *Britanna* Ducem.
Insula tristis aquis errat velut altera *Delos*,
Fluctuat & lacrymis auctior unda maris.
Heu *Delos* jactat cunabula nulla *Dianæ*
Nostra, nec intonsus floret *Apollo* suus.
Pulchrâ prole suâ spoliata *Britannia*, Conjux
Quam prope dimidio jam viduata dolet?
Te, GEORGI, pietas cognata in sidera vexit,
In terram pietas te revehitque tua.
Prospice Rector adhuc Classi, cæcasque per undas
Diffundas puro quod micet igne jubar.
Teque novum sidus spectet jam nauta *Britannus*,
Cedat nunc *Helice*, nunc *Cynosura* tibi.
Frondentes ramos pandit tibi Regia Quercus,
Et te vult CAROLI Cor propiore frui.
Te duce vitâsset scopulos *Shovelæa* carina,
Et nôssent dominum litus & unda suum.
Pembrochii studio ô faveas, placidumque per æquor
Serves, partem animæ nam vehit ille tuæ.
Dimidio effulgens cœlis da lumen amicum,
Dimidio præsens dirige Classis iter.
ANNA mari victrix, dominetur GEORGIUS astris,
Conjunctum imperium Sidera & Æquor habent.

Vyner Snell, A. B. Coll. Trin. Socius.

Μοῦσα, Διὸς θυγάτηρ, ἀδινὸν στενάχουσ' ἐπέεσιν,
Ἄρχε γόων, εἰλθοῦσα κάρη μελανείμονι πέπλῳ·
Ὤφελες εἰς ὑγρῆιο ῥοὴν ποταμοῖο γυέαζ,
Βυβλίδ' ἐυῤῥοῳ, ἢ ἀργυρέης Ἀρεθούσης,
Καὶ τότε ἀένα' βαρυπενθέα δάκρυα λείβοις·
Ὡς ὄφελες νοτερῇσιν ἐμῇ νεφέλῃσιν ὁμοίη,
Αἰ κάλαπινσ' ὕδατ' ἀεὶ, πάλιν ἔκ τε χέουσιν.
Ὤλε γὸ, ὤλε Κλέ' καλὸν Βρεταννίδ' ἄγης,
Ὤλεν Ἀνὴρ παναρκὴς Ἀνάσσης ἠὐκόμοιο,
Ἄγριον, ἄγριον ἕλκ' ἔχει σπάθεσφιν Ἄναστα,
Οὐκέτι φαρμακίῃσιν ἀκέσμιον, ὐκέτ' ἀνεκλὸν,
Ἄνδρα ποθεῖ, ἀχ' ὀξὺ κατοίσεται Ἀϊδ' εἴσω·

Κεῖται καλὸς Ἄδωνις, ἔχει δ᾽ πεύμαλα Κύπρις·
Κεῖνον ὀδυρόμφοι ἄχθονται νωλεμὲς αἰὲν
Ἀγλιακῶν Παῖδες, γοόωσά τ᾽ ἀμείβεται Ἠχώ·
Κλαῖεν Φοῖβος, ἔχων χερσὶν φόρμιγγα λιγεῖαν,
Καί γ᾽ ὀλοφύρετο θεὸς Ὀλύμπια δώματα Μῦσαν,
Ἐκ κιθαρῶν χορδάς τε χαλῶσαν εἴαδε σιγῇ·
Ταῖσι δ᾽ Μελπομένη λιγυρῆς ἐξῆρχεν ἀοιδῆς,
Αἴσμασι λυγαλέοις λιγέως κωκύζετ᾽, Ἄδελφαὶ,
Ὄλλυται, ὄλλυτ᾽ Ἀνὴρ μεγάθυμος· δείδια δ᾽, ἡμεῖς
Ἀθάνατοί περ ἐῦσαι, ὁμῶς οἰχησόμεθ᾽ αὐτῷ·
Εἵπετ᾽ εἰς Πόλεμον φθισιμόρεα φοιτήσασκεν,
Οὔ τις οἱ ἀντίος ὁρμηθεὶς ἀπὸ κῦδος ἄρηται·
Τῷδ᾽ ἔρις ὅτι φίλη· αὐταὰρ βεβολοιγὸν Ἄρηα
Οὖλον μισήσασκε, πίεν τέ μιν ἐν καρὸς αἴσῃ,
(Ἐχθιστος δὴ ἔσι Θεῶν, οἳ Ὄλυμπον ἔχουσι)
Δῶκε δέ σοι πιμελὴ, Εἰρηνὴ, δῖα Θεάων,
Δωρά τε πόλλ᾽ ἀνέθηκ᾽ ἡμῖν· διὸ τεθνειῶτα
Τιλλόμφναι χαίτας πενθήσομφ, ὡς γὰρ ἔοικεν.
Ὣς φάτο, κὴ σήθη πλῆξεν Θεὰ, ἀμφὶ δὲ πᾶσαι
Κωκυτῷ τ᾽ εἴχοντο καὶ οἰμωγῇ κατ᾽ Ὄλυμπον.
Χαῖρε δέ μοι, Βασιλεῦ, (μάλα γὰρ Βασιλεῦσιν ὁμοῖος
Οὗτος Ἀνὴρ, ᾧ Ζεύς τ᾽ ἀρετὴν καὶ κῦδος ὄπασσε,)
Χαῖρε, φίλε, συγερθὶς καὶ εἰν Ἀΐδαο δόμοισιν·
Οὔποτε (φάσ᾽) Σὲ βάλοι σέλασιν ῥοδοδάκτυλος Ἠὼς,
Γῆρα δέ Σε δῆσαν Θάνατος κὴ Μοῖρα κραταιή·
Ἐκ δ᾽ ἱερὰς τελέσαιμφ ὑπὲρ βωμῶν ἑκατόμβας,
Εἴ Σοι ἐπικλώσαιντο Θεοὶ χερνιώτερον εἶναι·
Ἀλλ᾽ ὃ ἀρέσκονται, ὃ θύμασιν, ὅττε λιτῆσι,
Ζεύς τε καταχθόνιος, κὴ ἐπαινὴ Περσεφόνεια.
Μῦσαι μὲν λιγέως θρῄνεον σονόεσσαν ἀοιδὴν,
Ταῖσι δ᾽ ἀνισαμένη μετεφώνεε Παλλὰς Ἀθηνὴ,
Λήγετέ μοι κλαυθμοῖο, φίλαι· μάλα δῶκα γὰρ αὖτε
Ἐωσμένης Σκῆπτρον, Σοφίῃ θ᾽ ὑπὲρ ἔργ᾽ ἀνθρώπων·
Οὐκέτι Τόνδε δόμοι ἐνέρων, καὶ καρτερὸς ἄδης,
Εἴρυσσ᾽· ὧρτο γὰρ Ἶρις ἀελλόπος ἐξ Οὐλύμπου,
Καί μιν ἰδοῦσ᾽ ἐλθόντα, Πόθον Βρεταννῶν μεγαθύμων,
Σῶμά τέ οἱ λοῦσεν, καὶ εὐφρονι χρῖσεν ἐλαίῳ,

Καλὰ

CANTABRIGIENSE.

Καλά τε εἵματα ἕσσε θεὸς χερὶ λευκώλενος,
Σμύρνης, ἠὲ Κασίης, ὀδμὴν ἠδεῖαν ἱείσα,
Πὰρ ᾧ Διῒ Κρονίων ἀλκλίνθη, κύδεϊ γαίων.
Αὖθι μνώοις, τερπόμενε Ἄνες, Χρυσόθρονε ΑΝΝΗ
Ἕως Ἀγλοισι τεοῖσι πολλὼ χρόνον ἐμβασιλεύοι,
Καὶ τότε Τῆδ' ἅμ' ἄναστε· δυοῖν Ἀρείων γὸ εἵσιν,
Ἣ ὀρθῶς Σ' ἀγαγοῦσα, φίλεω ὑ πλάγξει Ἀκοιτιν.

Johannes Rayner, Aul. Pemb. Alumn.

DONEC GEORGIUS Inſulæ
Anglorum decori & præſidio fuit,
Dum rerum Columen ſtetit;
Gens omni viguit gente beatior.
Donec Conjugè cum piâ
Diviſi Imperii ſuſtinuit jugum;
Felix ANNA GEORGIO
ELIZA viguit clarior *Anglicâ*;
At matura GEORGII
Virtus en! merito ſidera vendicat;
Nec vani querimur, modo
Dent ANNAM miſeris Fata Superſtitem:
Si non aſpera Regiam
Dilectam Sobolem perdiderant manu;
Matri ſi teneræ modo
Liquiſſent Puerum Fata GLOVERNIUM,
Quanquam lumine carior
Tu, dum vivus eras, atque animâ ſimul,
Quanquam Regia mortuum
Te Conjux lacrymis perſequitur ſuis,
Inſolabiliter gemens
Te raptum ex Thalamis, ſi tamen hoc malis
Hoc ſi Fata reliquerant
Solamen, levius ſenſerat *Anglia*
Mortem Principis Optimi,
(Si Vixiſſet adhuc Natus Imaginem
Defuncti referens Patris)
Mortem, non alio more piabilem.

Gulielm. Hatton, A. B. Filius Dni *Chriſtoph. Hatton*, Baronetti. Coll. Div. Johan.

EPICEDIUM

SICCINE tam ſubito excidimus! nulloque fragore
Intonuit Cœlum, trepidusve perhorruit Orbis!
Non eadem ſit Naturæ patientis Imago,
Ac cum cœleſtes metantur Sidera curſus
Et ſolito ſplendore & certâ lege vagantur;
Danicus occubuit; Tumidæ monuere nec Undæ,
Nec Terris lacrymas ſuffuderit *Amphitrite*,
Mox orbanda ſuo Rectore, orbanda Parente.
Heu! jacet exanguis, non Qualem *Suecia* vidit
Victrices ducentem acies madidumque cruore
Hoſtili, campos funeſto *Marte* replentem:
Quum nigro aſpexit ſpumantem ſanguine *Boynam*,
Et ripæ ſonuêre omnes crepitantibus armis,
Quam ſtetit intrepidus Divinoque ore refulſit!
Sic quando inceſſit *Phrygiis Gradivus* in arvis,
Emicuit Cæleſte jubar Divumque fatetur.
At quod Martis opus, *Britonum* quod caſtra relinquis,
Id Tibi juſſit Amor, Charæ pia cura Maritæ
Sollicitat; ſic Juſta *Venus Mavortia* cogit
Pectora, & Heroem vetat in fera bella reverti:
Felices paribus curis ſua Gaudia miſcent,
Felices & adhuc (ſi Diî voluere) fuiſſent;
At fruſtra Superos inclamat Regia Conjux,
Fruſtra Fata ſuis ſperat deprendere Votis,
Cum in Noſtram totus pœnam excandeſcit *Olympus*,
Atque indignantes repetunt Sua Munera Divi.
Si Virtus, ſi priſca Fides, ſi mutua flamma
Et ſocialis amor *Parcas* jam flectere poſſent,
ANNA quidem poterat; Quoties Tua Fata ſubire
Exoptat, graviora timens quam morte GLOVERNI;
At cum pallentes vultus liventiaque ora
Principis aſpexit moribundaque lumina clauſa,
Effundit Gemitus, quales exaudiit *Hæmus*,
Vel dedit *Alcyone* lacrymoſa ob fata mariti;
At (ſiqua eſt Divis pietas, ſi mutua cura)
Ille petit, "Tanto pugnes ſupereſſe dolori;
Parce piis lacrymis, Duo ne moriantur in Uno;
Sic Regina, potes noſtrum lenire dolorem:
In Te perpetuo Sociatas Fœdere Divas,
Et reſtauratam Terris ſpectamus ELIZAM:
Illius auſpiciis truculentus ſenſit *Iberus*

Se

Se fruſtra flammas & Vincula dira minari.
Imbellis fruſtra vibravit Fulmina *Roma*;
Fulmine non iſto trepidat *Brittannica* Laurus:
At Quæ Virgineâ paſſa eſt *Hiſpania* Dextrâ,
Quæ dudum meruit, patiatur *Gallica* Tellus,
Frendeat incaſſum; dum invisâ ſede Tyrannus,
Inferni petit auxilium, metuitque tueri
Æternum avulſos perjuræ Frontis Honores.

Ro. Lambert, S. T. B. Coll. Div. Johan. Socius.

JAM, Muſa, carmen fundito lugubre;
Triſtem canendi materiam tibi
Parcæ, invidæ *Parcæ* dederunt
Fila ſevera nimis trahentes;
Quid mortis atræ regna recluditis
Sævæ ſorores? veſtra GLOVERNIUS
Tropæa dudum ceſſit; annis
Sufficeret dolor ille multis:
Morti tamen non ſufficit impigræ;
Pateſcit *Orco* magna iterum Domus,
Cara *Anglo*, & æternâ per ævum
Digna Domus viguiſſe prole.
Heu! nuper ingens ille GEORGIUS,
Pontus triumphos cui toties dedit,
Corpus rogo flagrans inane,
Parvula quod capit urna, tantum eſt.
Te Somnus ergo perpetuus premit?
Te? conjugalis cui Pudor, & Fides,
Et Caſtitas divina quando
Invenient ſimilem aut ſecundum?
Cunctis amicus flebilis occidit;
Quantum ſed ANNÆ flebilior ſuæ?
Fruſtra, pia, heu! poſcis maritum;
Fruſtra oneras Superos querelis.
Eſt una cunctis, una ſemel via
Calcanda, greſſu non revocabili;
Nulli renanda eſt, quem nigro fert
Navita lintre, *Acherontis* unda.
Nos certa tollit, non tamen æqua Mors:
Perjuriis vivit *Lodoix* Senex

EPICEDIUM

Anniſque; inanis Tu, GEORGI,
Umbra; quis eſſe Deos putaret?
Ad aſtra ſerum Te tamen O ferat,
Regina, flamen, ſit pietas licet
Matura; vivas hîc tremendum
Hoſtibus, ANNA, diu flagellum:
Exurge luctus & lacrymas ſupra,
Nec Major armis, cede doloribus;
Mater, Tibi ſit cura Noſtrûm,
Sit Tibi cura Tuî, precamur.

Tho. Wendy, Coll. Regal. Alumn.

QUÆ Nova procedit miſerandi Pompa Doloris?
Quæ turbant lætos Funera mœſta Dies?
Ah! quam Diſſimiles vidiſti *Thameſis* olim,
Cum *Pauli* victrix ſcanderet ANNA Domum!
Scanderet ANNA Domum Læto comitata Marito!
Qualis, Diî, facies! Quæ fuit Illa Dies!
At nunc Ille, fuit qui Pars tam Magna Triumphi,
Ille petit gelidam triſte Cadaver Humum.
Hæc ſunt à vobis, *Britones*, ducenda Tropæa?
Hæ ſunt Exuviæ, quas tribuere Dei?
Impia Mors Omnes afflavit turbine Palmas,
Atque Triumphantem polluit Atra Domum.
Nil proſunt Victi pendentia Signa *Bavarî*,
Veſtemonaſterii quod tenet Aula Decus;
Cum Funeſta Domus *Libitinæ* Proxima ſurgat,
Claudat & Infelix Principis Urna latus.
Ergo, Magne, jaces, & Te domuêre ſagittæ,
Queis Pius *Æneas*, Fortis & *Hector* obît?
Téne Pium magis *Æneâ*, magis *Hectore* Fortem
Funere Lugubri merſit acerba Dies?
Si ſpectes ANNAM, non Regibus eſſe minorem
Concedes, Conſors qui fuit, ANNA, Tibi;
Si ſpectes Ipſum, Majorem Regibus Ipſis
Concedes, Aliis qui ſua Sceptra Dedit.
Sed quo Major erat, tanto Dolor acrius urget,
Qui magis increſcit Conjugis uſque ſinu:
Dimidium petit Illa ſuî, Pars ſola ſuperſtes,
Non ſibi chara magis, ſed magis Illa ſuis;

Illa,

Illa, Decus *Britonum* quâ dudum creſcere cœpit,
Et quâ majus adhuc creſcet in Aſtra Decus.

Johan. Pocklington, Coll. Pet.

In Nuperam Victoriam Principis Obitum ſequentem.

HECTOREO cecidit quando enſe *Patroclus*, *Achillem*
Inferias, *Troas* Mille dediſſe ferunt:
Nulla tamen tantos placavit Victima Manes,
Donec de *Priami* Prole tropæa tulit.
Sic tibi, *Malburius Gallos* plus mille, GEORGI,
Mactat, & à tergo Major *Achille* premit.
Vos quoque jam Soboles *Lodoici* fata timete;
Illum *Pallas*, at Hunc adjuvat ANNA Ducem.

Jo. Robartes, Coll. Chriſti Commenſ.

VIX dum peractos viderat *Albion*
ANNÆ Triumphos, quum rapuit Ducem
Crudelior Vis, occiditque
Grande Decus, Columenque Regni.
At non capacem Victima flebilis
Inviſit Orcum: per liquidum Æthera
Evectus alis, Mille regnat
Inter Avos, Atavoſque Reges.
Tandem dolori pone modum tuo,
Britanne Civis: deſine luctuum
Regina, quæ, Tutela præſens,
Imperio dominaris æquo.
Quid *Marte* poſſis, nunc *Lodoix* videt,
Victæque tellus ſentit *Iberiæ*;
Tu Claſſe formidata, Gentes,
Et liquidum moderaris Orbem.
Sponſus, ſupremi Concilio *Jovis*
Vocante, Nubes attigit arduas,
Menſiſque diſcumbens Deorum
Ipſe Deus bibit ore Nectar.

C. Naylor, Aul. Clar. Alumn.

EPICEDIUM

O Quantum dilecta tuis, Regina, *Britannis*!
Sat curis lacrymisque datum. Quin respice nostrum
Vultus, & ipsa velis minus indulgere dolori,
Quem populi, & gentes, Pietas quemque horreat ipsa.
Dulce Decus *Britonum*! Venerandi, en! ora Senatûs
Ad te respiciunt, vel & hæc solatia poscunt,
Bis magis ut doleant, modo si minus ipsa doleres.
Magne tori consors, quem non tam fœdera Lecti,
Quam sociavit Amor, tibi totum in amoribus ævum
Dii dederant agere, & placidas sine crimine tædas.
Vandalicos hostes olim tua Dextra repressit;
Et nova Laus fuerat servatus Frater ab hoste:
Armataque acies inter Glacialis *Ierne*
Te vidit, stupuitque, ut junctæ umbone phalanges,
Fraternæque manus acies fregere rebelles.
Rebus at humanis te nunc exemit acerba
Vis Fati, atque tuam Reginam, ANNAMque relinquis.
Quod si jam cineres aliquid curare sepultos
Posse rear, placidâ credam te hâc voce *Britannos*
Affari, & viduas solari Principe Gentes,
Jam nunc tempus adest, cum tu, *Churchille*, Deorum
Sanguen, & *Eugenii* virtus, socia agmina utrique
Jungentes, trepidis dabitis pia fræna Tyrannis;
Oppressusque diu non ultra serviet Orbis:
Non ANNÆ imperium jam clauserit ultima *Thule*;
Orbis at Imperiique idem dein Terminus esto.

Wilhel. Piers, S. T. B. Coll. Emman. Socius.

Ad Reverendum admodum in Christo Patrem, JOANNEM *Episcopum* Elienſem.

O Qui solicitæ lacrymis & planctibus ANNÆ
Intereras, & anhela Viri suspiria nôras,
Interes exequiis, & funebre dirige carmen.
Summa dies aderat, non exhibitura sequentem,
Ultimaque invictæ volvebant stamina *Parcæ*,
Cum charum mulcens caput, & cervice repôstâ
In Sponsi cervicem, unà Regina sedebat,
Dans ægro solamen, inops solaminis ipsa:

Una

CANTABRIGIENSE.

Unà aderas duplici præclarus munere Præſul,
Solarique potens ſimul & ſanare dolores:
Tu triſtem Reginæ animum ſolamine molli
Mulcebas, tibique, ô! tibi forſitan *Anglia* debet,
Quod non mœſta ſuo periit cum Conjuge Conjux.
Et ſi morborum poſſet quiſquam agmina *Pæon*
Vincere, Tu, Præſul (quo non præſentior alter
Cœleſtis *Pæon* ſanavit vulnera Divûm)
Ægrum Reginæ potuiſſes arte Maritum
Reddere, & ad patrium properantem ſiſtere *Olympum*.
Hippolytum fingunt (mendax ô Turba!) Poetæ
Pæoniis revocatum herbis, Tibi, caſta *Diana*
Deſertum infernis rediiſſe in corpus ab umbris:
Nil tamen *Hippolytus* meruit, nil caſta *Diana*,
Quod non, irrupti quos copula junxit amoris,
Hîc dilecta ſuo meruit cum Conjuge Sponſa.
Nil potuit Medicus, quanquam eſſet *Apolline* natus,
Et Patris arte ſui primis inſtructus ab annis,
Ille nihil potuit, quod, maxime Præſul, eâdem
Tu non arte vales, O Præſens languida membra
Ex imo revocare gradu, ſeu Principis Aula
Poſcit opem medicam, ſeu Te, ſub paupere tecto
Qui jacet, implorat, gratum ſibi Numen, Egenus.

Fran. Say, Coll. Trin. Alumn.

HEU! quianam ſubitis obducitur Æthra tenebris?
Unde iſta Nubes imminet
Noctem hyememque ferens?
Heu! quianam tantum *Brittannus* contremir Orbis?
Timetque diſſolvi, licet
Jam nova perpetuo
Vincula compingant nexu; & det ſpernere, quicquid
Papiſticus contra furor
Vel pia fraus poterit,
Unio Diîs ſtabilita bonis? Cur incubat Aulæ
Funeſtus Horror Regiæ?
Cur trepidant Proceres
Incerti, attoniti? Cur livent lumina Nymphis,
Pallet genarum Purpura?
Quam vereor, nimium

EPICEDIUM

Ne Superis repetita, choriſque adſcripta Beatis,
Non jam ANNA noſtras res ſuo
Protegat imperio!
Nondum tale nefas auſa eſt *Libitina*; ſuperſtes,
Superſtes at vix integra,
ANNA beat *Britonas*.
Te nempe è mediis *Parca* importuna Triumphis,
ANNÆ, GEORGI, pars tuæ
Non minor, eripuit:
Jam piget ingratæ lucis, jam tædia vitæ
Incuſat, & Sponſo comes
Ire ſuo properat:
Ut Furiis agitavit Amor, quando ore ſupremas
Acclinis hauſit frigidæ
Relliquias Animæ?
At nihil, *Alburnotte*, poteſt Vigor inſitus herbis?
Nihil fugacem ſpiritum
Siſtet, & eripiet
Dilectum Caput, & fauces eludet avaras
Hiantis *Orci*? Si nihil
Plantæ aliæ valeant,
Jam Laurûs vires veſtræ, pia Turba, Poetæ,
Tentate; Quæ, lapſam licet
Non Animam revocet,
Inſerta æterni Monimentis Nomina Versûs
Mori vetabit. Viribus
Sumite materiam
Aptam quiſque ſuis; Tantis par ſcilicet Unus
Per ſe canendis laudibus
Non erit, inducrit
Totum etſi Phœbum. Tu Relligionis honorem
Puræ tuentem, & libera
Jura, ſub auſpiciis
NASSOVII pingas: Hic molli carmine caſtum,
Legeſque ſervantem ſacras
Connubii, celebret.
Ille Orbi liquido dominantem, & jura Profundo
Britanna dantem, Barbito
Magna ſonante canat.
Suſtentantem Alter Fratris nutantia Sceptra
Virtute, proque Ipſo mori
Commemoret facilem.

Tandem

CANTABRIGIENSE.

Tandem Omnes, ANNÆ memores, uno ore Salutem
Vovete; captivus luat
Perfidiam *Lodoix*,
*Malburii*que ornet, Mundo plaudente, Triumphum:
Vovete; Divos & pia
Vota ſuos habeant.

Georg. Baker, Coll. Regal. Alumn.

Ad Honoratiſſimum Dominum, Dominum CAROLUM MONTACUTIUM, *Baronem de* HALIFAX.

O Clarum de *Monte* ortum eſt cui Nomen *Acuto*,
(Namque Tibi ingenium, Tibi mens Divinior, atque os
Quod magnum gratumque ſonat.) Tu funera Regis
Triſtia cum caneres, lacrymas ſimul *Anglia* fudit,
Admirata ſuas, te depingente, querelas.
CAROLUS hinc noſter tecum omne vigeſcet in ævum,
Et virides tumuli creſcent in vertice laurus.
Prælia cum reſones, læto ſe *Boynia* tollit
Flumine, & Æternos à carmine ſperat Honores;
GEORGIUS hinc, atque inde recens à vulnere vivit,
Æternùm & vivet Nomen Tibi dulce WILHELMUS.
Adſis ô placiduſque juves, & parva daturi
Vela per Oceanum, pueri Tu dirige curſus,
Audentis, Patrone, ſequi, quo te rapit alæ
Fortis remigium, primos tu reſpice niſus,
Infirmaſque juva, melior mihi *Dædale*, pennas.
Cum primos *Grantæ* ſtudiis impenderis annos
Tum decus (ô noſtris nunc ſis Tutamen *Athenis*)
Primus ibi ante alios quali Tu carmine felix
Connubium ceciniſti ANNÆ *Dani*que Mariti!
Quot natos illis, quot dulces Muſa nepotes
Promiſit CAROLO! non quos vitalibus auris
Tam cito privandos, terris oſtendere tantum
Vellent Fata ſuis, ſubitoque repoſcere *Olympo*,
Sed fore, qui latè dominos, belloque frementes
Saxonidas regerent, Patriis virtutibus Orbi
Qui deſiderium poſſent ſupplere Parentum.

EPICEDIUM

Hæc Tu olim Vates: Animum ſed luſit inani
Augurio, fallax haud ante repertus *Apollo.*
GEORGIUS Unus erat, miſeræ Solamina matri
Qui tulit, abreptam quoties mœſtiſſima Prolem
Deflevit, ſolus propter quem vivere vellet
GEORGIUS, ô vulnus quis nunc ſolabitur illud
Quod dedit hic, qui ſuevit opem dare? Carmine Cœlis
Quis Sponſum inducit? raptum quis & ANNA Maritum
Ne comitetur obeſt dulci modulamine Muſæ?
O cui *Calliopâ* natus *Rhodopeïus Orpheus,*
Judice *Calliopâ,* cedit; qui Fortia verſu
Dulcibus immiſces, & jungis Mella Leoni;
Tu ſerva *Eurydicen,* rurſum tu tange canoræ
Fila ſciens citharæ: non eſt tibi *Pluto* movendus,
Perſephone & Conjux; en! GEORGIUS occupat Aſtra:
Sed luctum ut ponat, flectenda eſt ANNA, ſed Auras
Ætherias ut amet, dulci tu perfice cantu.

Henr. Kelſall, Trin. Coll. Alumn.

NON ego dehinc mœſtus plangam, quod Fata virorum
Vulgares turbas ad nigra Regna vocant:
Cum Te, qui tanto cunctis præſtantior, Aſtris
Splendidior quanto Luna coruſca micat;
Cum Te, quem vitæ Probitas, Hominumque, Deûmque,
Delicias poſuit, jam tenet Urna vorax.
O ſi *Virgilii* fuerint in Carmine Vires!
Tamque mihi Ingenii Vena benigna foret!
Egregias ardens tentarem pingere Laudes
Principis; Arma foris, Conſiliumque domi.
Narrarem ut ſtravit *Suecos* inſignis in Armis,
Impavidique Animi ſigna ſtupenda dedit:
Narrarem *Gallos* ut Claſſis noſtra ſubegit,
Ejus & Auſpiciis clara Tropæa tulit.
Sed quid ago inſanus? poterit vix Fama referre
Inclyta Geſta, (loquax ſit licèt illa Dea;)
Fama, alis cujus Nomen tolletur ad Aſtra;
Et Mundum & Laudes finiet una Dies.

Ed. Stanley, Commenſ. *Sidn. Suſſ.* Coll. Fil.
Nat. Max. *Thomæ Stanley,* Baronetti.

ÆNEAN

CANTABRIGIENSE.

ÆNEAN olim triſtis deflevit ELIZA
Solventem Naves, increpuitque fugam:
Haud ſecus, alma Parens *Britonum*, complexa Maritum;
Ne viduet Thalamos obſecrat ANNA ſuos.
Sed fugiunt ambo, divino Numine pulſi,
Ille novas Terras, Hic propria Aſtra petit.

Joſephus Clarke, Coll. Emman. Alumn.

ANGLIA, ſolve comas: Conjux fidiſſimus ANNÆ
Ante diem indigno funere raptus obit:
Informes luctus Patriæque ANNÆque reliquit,
Hæc Thalami ſocium quærit, & Illa Ducem.
Illa Ducem quærit, Claſſes ornare *Britannas*
Et ſolitum toto dicere jura mari.
Heu! par illud ubi eſt? duo juncta ubi pectora in uno?
Dimidium ſupereſt, dimidiumque fuit!
Rara ubi nunc Virtus, ſolidæ Conſtantia Mentis,
Et veræ fervens Relligionis amor?
Juſtitiæ cultor, fortis contemptor Honorum,
Ventoſæ fugiens ambitionis erat.
Conſilium prudens, & rerum maximus uſus,
Et laudum hunc ſummus jam decorabat apex.
Teſtis erit mihi *Boyna* hoſtili infecta cruore,
Quam bene pacificæ junxerit arma Togæ.
Scania Cimbrorum vidit *Suëonum*que Phalangas
Infeſta in campis arma movere ſuis.
Cernit ab hoſte premi Regem, ſtrictoſque per enſes
Ille ruens Fratrem ſervat ab hoſte ſuum.
Nos igitur vitam nos jure dolemus ademtam,
Quam Patriæ & Fratri reddidit Ipſe ſuo.
Quot dotes animi parvâ conduntur in urnâ!
Unius & funus funera quanta dedit!
Nunc longo atrati procedunt ordine Patres:
Et claudi tumulo ſe putat ANNA tuo.
Territus ipſe Pater *Thameſis* plangoribus altis,
Squalidus ex imo protulit amne caput:
Ingemuit, voluitque loqui; vox nulla ſecuta eſt:
Nam gemitus medios eripuere ſonos.

EPICEDIUM

Quod potuit fecit; lacrymis tumida ora rigavit:
Addidit atque undis flumina larga ſuis.
Mirantur Cycni creſcentem fletibus amnem;
Extremumque vale gutture hiante canunt.
Perſonuere gravi pulſata Palatia queſtu,
Et pullata graves turba dedit gemitus.
Ipſe tamen vacui ridet ludibria Buſti;
Et clarâ ad Cœlum luce capeſſit iter.
Cordibus in noſtris vivax ſpirabit imago
Illius; & Nomen Numinis inſtar erit.
Aſpice qui magnos moliris mente Triumphos,
Aſpice quod feretro triſte levatur onus.
Aſpice quam dubiâ fati ſtent omnia Lege:
Infelix Hominum Gloria nempe jacet.
Sed quid vana queror? quid verba, coacta dolore
Mens jacit inſanis diripienda Notis?
Non poſſum alloquiis triſtes ſedare Dolores:
Quæ fleo, non precibus ſunt revocanda meis.
Parco igitur lacrymis, vaniſque urgere querelis,
Atque procul jubeo Leſſus inanis eat.
Vivit adhuc Conjux, Rerum tutela Hominumque:
Hac vivente, *Anglos* nenia nulla decet.

Tho. Bentley, Coll. Trin.

MALBURII palmis, longiſque aſſueta Triumphis
Jam Dea lugubres neſcit inire modos.
Inſolitus jam verba Dolor non invenit ulla,
Si poterit, nequeunt verba ſat ulla loqui.
Quis dicat, quam Fata ſui Ducis *Anglia* luget,
Funus ut erepti Conjugis ANNA dolet?
Qualem jam Claſſis metuat *Brittanna* procellam,
Cum periit mediis qui regat Unus aquis?
Heu! quales ventos nunc *Gallicus* excitet Ille
Æolus imperiis, ANNA relicta, tuis?
Cum jaceat Pelagi Dominus, poſitoque Tridente
Abſit, qui tumidas comprimat ore minas.
Quin nunc ipſe inflet *Triton* ſuper æquora Concham,
Atque procul dirâ litora voce tremant.
Audiat & *Codanus*, fundoque remugiat imo,
Et geminent mœſtum ſaxa *Britanna* ſonum.

Atto-

CANTABRIGIENSE.

Attonitam trepidet cognatus *Cimber* ad *Arctον*,
Corda gerens proprio frigidiora gelu.
Ille cadit, per quem tua, *Dania*, Sceptra ſtetere;
Non Sibi, ſed Fratri Sceptra ſtetere ſuo.
Sed Tu, cara Duci patriâ magis *Albion* ipsâ,
Sis ipsâ patriâ pro Duce mœſta magis;
Te cunctis palmis, te Sceptris prætulit Heros,
Quà palmis, Sceptris carior ANNA fuit.
Felices Tædæ! quas ſæva extinxit, & atras
Pro quibus accendit jam *Libitina* Faces.
Sed tamen hoc levius, ſi Pignus dulce maneret,
GEORGIUS & ſi quis redderet ore Patrem.
Infelix Mater! cui jam ſublatus ab ore
Et Pater *Æneas*, *Aſcaniuſ*que Puer.
Ulterius ne perge Deus ſævire, nec ANNAM
Coge mori, quæ jam vix ſupereſſe poteſt.
Heu! tandem miſerere ANNÆ placatus, & Illi
Sis Pater *Æneas*, *Aſcaniuſ*que Puer.

J. Hawtrey, Coll. Div. Joh. Alumn.

ERGONE lugubres iterum inſtaurare Querelas,
Infandum renovare jubes ſic *Parca*, Dolorem?
Occidit, invictuſque prius ſuccumbit iniquis
Fatis, quo toties ſeſe *Brittannia* Tutam
Vindice cognovit, viguitque ſub auſpice felix?
Invidet heu! nimium noſtris *Libitina* Triumphis;
Debellata viget, ſuperata repullulat *Hydra*.
Regali dudum placari ſanguine Fata
Speravi, lacrymiſque modum votiſque dediſſe,
Fatidicumque *Anglis* ceciniſſe Bona omnia Vatem.
Fata manent graviora tamen, renovatque Triumphos
Parca ſuos; tanta eſt Animis Cœleſtibus Ira.
Tu Regina, tuis tanti Medicina Doloris
Quæ Sola eſſe potes, nimio ne cede Dolori,
Non ignara Mali miſeris Succurrere diſcas;
Te Fautrice, tuis quid non ſperare licebit
Angligenis? *Gallorum* iras ſpernemus, & ANNA
Soſpite, tela parum *Libitinæ* dura timemus.

Johan. Robſon, Aul. Cath. Alumn.

EPICEDIUM

SOLLICITAS tandem trepidâ formidine mentes
Illætabilis hora premit; defendere votis
Quamque piis omnes adnixi, nuncia casûs
Funesti incendit luctum, dubiosque timores
In veras solvit lacrymas, tristemque querelam.
Usque adeone malum exarsit, Morbique tenacis
Lethales hæsêre minæ, ut nihil Arte Magistrâ
Subveniant Medicæ vires? Adeone *Britannis*
Fata Dei steterunt misceri gaudia fletu
Successu nimis elatis, animosque feroces
Clade premi; ut nullis veniam exorabile Numen
Det *Britonum* precibus mœstorum? Iræve residant
Pacatæ votis, supplex quæ plurima fudit
Regina ante aras, atque instauravit Honores
Sacros mente piâ?—Satis heu! commissa dolore
Magna gravi luimus! Sontes, heu! funera laurus
Principis ulta satis, funesti & crimina fastûs.
Ferali torpet concussus imagine rerum
Infractisque animis cecidit vigor; omnia circum
It gemitus, planctusque, tuas dum condimus urnâ
Relliquias, Charum Caput, & comitamur honores
Supremos lacrymis; infixus pectore mœror
Hæret, & hærebit duri inclementia Fati,
Armatæ laudis monimenta perennia Fasti
Teutonici servent; at nos meliore *Britanni*
Marte Triumphantem felices sensimus; ô si
Dîs visum ulterius sensisse, hilarique volentes
Principis officio mores coluisse benignos!
Fata obstant: Nobis solum implacabilis ægris
Parca dedit pompâ cineres deducere inani
Semper honoratos, memorique revolvere luctu
Ingenium, placidasque artes, quibus Optimus Heros
Absque armis Victor, quamque excita *Cimbria* quondam
Incassum conata jugo summittere gentem,
Unus in obsequium traxit, vimque intulit unus
Gratam animis, magnoque tenet metuendus amore.
Nec nisi morte gravis.
Non adeo externos, sed Chari effusa Parentis
Conclamant lamenta rogos, junctoque suorum
Vita fugit gemitu tenues defleta sub umbras.
At Regina gravi casu perterrita lucem

Invi-

Inviſam fugit, ora ſui dilecta GEORGI,
Occurſant, tentantque imos pallentia ſenſus.
Multum æqualis amor, ſervataque fœdera lecti
Caſti animum ſubeunt, atque anxia corda fatigant,
Avulſo conſorte tori, qui dulce labores
Soletur Sceptri, gremio curaſque fideli
Suſcipiat Regum comites: jam pondus iniquum
Odit, multipliciſque invadunt tædia laurûs.
Sic rapidos aſſueta *Euri* contemnere flatus
Palma ope vicinæ ſtirpis, junctiſque pruinas
Viribus immites arcet, ſoliſque calores
Auſtrinos, ramis latè viret ardua cœlo
Eductis; at forte olim conſortibus umbris,
Radice & ſociâ ferro viduata bipenni,
Submittit caput, intercepti vulnere torpent
Indigno humores, arenti brachia fronde
Langueſcunt, atque Ipſa ſuam vix ſuſtinet umbram.
Dî, quibus imperium hoc Veſtræ felicibus ANNÆ
Auſpiciis viget, & ſuperavit gloria famæ
Antiquæ redivivâ modum, miſereſcite ſortis
Infandæ; & quæ nunc iris cœleſtibus horret
Attonita, atque vices duras ſub pectore verſat,
Reginæ revocate animum, & ſuccurrite rebus
Numine converſo lapſis: Populus, date, curas
Pronus in obſequium ſtudiis coeuntibus ægras
Avertat: Viduam (veniunt ſolatia tantis
Si tamen iſta malis) ſpem conjurata Suorum
Refficiatque fides, gratique amor æmulus Orbis.

Johan. Chapman, A. M. Coll. Emman. Soc.

Ad REGINAM.

ANNA Orbis Domina, ANNA potens Terræque Mariſque
Omnia Quæ vincit, vincere Fata nequit.
Cum Te Fata vocent, poſſet modo, Maxime GEORGI,
Quam vellet Conjux Te rapuiſſe Neci!
Ah! quoties dixit, Fatorum arcana revolvens,
'Amborum Vitam finiat Una dies;
'Finiat Una dies: nunc ô nunc deſerit ANNAM,
'Pars melior Vitæ GEORGIUS, Alter Ego.

EPICEDIUM

'Conjux chare vale, ſuperos inviſe, Tuamque
'Progeniem, Divos quæ ſedet inter Avos.
'Invenies illic GLOVERNUM & Sceptra gerentem,
'(Sceptra gerunt Omnes ſplendidiora meis.)
'Multâ Prole Parens illic dominabere, Princeps,
'Dum Prole atque Viro (proh dolor!) orba, gemam.

Rob. Parran, A. M. Coll. Trin. Soc.

VOCALI ceciniſſe tubâ vix Fama Triumphos
Cœperat, & laurus felici *Marte* recentes;
Bufflero Lillam vix defenſore Superbam
Attulerat ſubiiſſe jugum clementius ANNÆ,
Principis heu! fatum populo cum invita referre
Cogitur, atratis ferrique per aera pennis.
Quid juvat egregios, Superi, duxiſſe Triumphos,
Nec potuiſſe frui? ſi nuper Conjuge dulci
ANNA ſuo felix, felix & *Marte* Secundo,
Æternum ereptos infelix ploret Amores?
Sic quondam *Æneam* triſtis lugebat ELISA,
Cum *Jovis* imperio, amplexu divulſus, acerbo,
Inceptoſque toros, mediumque reliquit *Hymenem*.

Henricus Fawkener, Coll. Chriſti. Commenſ.

NI Reginarum ſummæ flagrantior ANNÆ
Affectus, Sociæque adeo Concordia Vitæ
Inclyta, me, præter morem, & permoverit ingens
Principis extincti Virtus, non mœſta cieret
Muſa chelyn triſteſque modos, minus apta canendo;
Nec Multos inter tenuiſſima dona tuliſſem:
Sed Reginarum quotquot per ſecula Gentes
Ornarûnt inſigne Decus, tædæque jugalis
Exemplar, tuaque O *Danicæ* Laus plurima Terræ,
Impulit, ut, modo Vincentem, nunc funere Magno
Mœrentem Matrem *Britonum* Salvere juberem;
Atque Deum orarem ſupplex, ut præpete pennâ
Cœleſtis Genius ſolio demiſſus ab alto
Leniret Curas ANNÆ; quò nube Doloris

Depul-

Depulsâ, reducique optato frontis honore
Regalis, ſolito ſplendeſcat Lumine, rurſus
Res patrias verſare memor, celſumque Senatum
Viſere, ſeque novis ſummiſque parare Triumphis.

Edm. Brome, S. T. B. Coll. Div. Joh. Soc.

HEROUM auſpiciis, ANNÆ precibuſque triumphans
Felices numerat terra *Britanna* dies;
Te geminâ fulgens lauro, ter parta tropæa
Unâ eâdemque manu, *Gallica* ſigna tenet;
Victrices jactat claſſes, captamque *Minorcam*,
Amplaque *Neptuni* Subdita Regna ſuis;
Læta videt *Galli* vires jam penè ſolutas,
Et vulnus regnis dat, *Lodoice*, tuis.
At vice fatorum vulnus jam percipit ipſa,
Gentem, quæ Dominam, ſæva ſagitta ferit;
Occidit ille tuus Dilectus, Regia Conjux,
Ille tuæ gentis gloria, gentis amor.
Hinc luctu gemit omne, triumphaleſque tumultus
Sopiti ſonitu jam graviore jacent.
Inter triſtitiæ comites ſtat triſtior ANNA
Et non ſolando merſa dolore ſilet;
Obruitur viduâ Regina in conjuge felix,
Auguſtamque ANNAM fœmina mœſta premit;
Turbatur facies, & quo venerabilis olim
Effulſit gravitas, Horror in ore ſedet,
Horror in ore ſedet, qualem tu, *Cypri*, ferebas,
Vulnere cum leti carus *Adonis* obît.
Si non Majeſtas, ut Sol ſub nube niteſcens,
Spargeret obſcurum, vel lacrymoſa, decus,
Sceptrigeræ Dominæ vix regia ſigna manerent,
Vix ANNAM ſciret Curia mœſta ſuam.
Illa oblita ſui, oh! penè ac oblita ſuorum,
Vix languente manû ſuſtinet Imperium;
Degravat internum mœrorum in pectore pondus,
Cuique tremens orbis paruit, Ipſa tremit.
Accurrit ſolio lætis Victoria pennis,
Cupreſſus lauro ſed negat atra locum;
Laurus & ipſa, *Jovis* ceu fulmine, tacta dolore
Vivere, cum luctu deficit ANNA, negat:

EPICEDIUM.

Laudibus accumulat laudes clementia Divûm,
Succeſſumque addit palma diurna novum,
Ceu vellet lacrymas regali abſtergere vultu,
Et reparare bonâ publica damna vice:
At frontis nubem victoria nulla ſerenat,
Malbrovius Dominæ vix placet ipſe ſuæ;
Nam luctu indulgens interno læditur hoſte,
Et mulier victrix victa dolore cadit.
Flebile ad exemplum componitur Inſula tota,
Atque ANNÆ lacrymis obſequioſa, gemit:
Inſula, quam cingit circumfluus Æquoris Humor,
Flumine mœſtitiæ jam propiore madet:
Flet mare: & in lacrymas verſum, confuſius undas
Proturbat trepidas, inſolitumque fremit;
Murmurat, & littus gemebundo verbere plangit,
In partem luctûs ſaxaque dura vocat;
Saxa rigat, cupiens in fletus ſolvere rupes,
Roreque ſtillanti nos lacrymare docet;
Flemus in obſequium naturæ, & ſigna doloris
Quæ dederint undæ, nos pietate damus;
Omnes cura premit, ſed creſcit fortior, ANNA
Fletibus immodicis quod viduata dolet,
Ne, ſi plus juſto curis indulgeat atris,
Ante diem ipsâ ANNA gens viduata foret.
Te Dominam Regum, Te matrem Eccleſia poſcit,
Te columen bello publica cauſa vocat;
Ergo ſinas *Britonas Batavoſque* effundere fletus,
Et pro te cineri ſolvere juſta pio;
At Tu; quæ nutu populos, moderere dolorem,
Utque Hoſtes armis, Te patiendo regas:
Conſortem *Libitina* tori laudiſque revellit,
Abrumpit partem dimidiamque *tibi*,
Pondera ſuſtineas ut rerum ſola ſuperſtes,
Ut ſola emergas gloria, ſolus Amor,
Solus Amor maneas vitâ famâque perennis
Utque ſoles, eadem ſemper es ANNA potens.

Gulielm. Goldwin, A. M. Coll. Regal. Soc.

CANTABRIGIENSE.

Ἄνδρα μοὶ ἀύχομϑώ βυληφόρον ἔννεπε, Μῦσα,
Ὃς πέσεν ἀ χαλκῷ, ξίφεος δέ ἑ ἀ κλάνεν ὁρμὴ,
Ἄγελε ἀλλ' Ἀΐδης· Διὸς ὡς ἐτελείετο βυλή.
Οἵμοι· πολυποῤῥῆντά σε πεῳὶ, Γεώργιε δῖε,
Δέξαλο γηϑόσυνός γ' Ἐνοσίχθων, ἠδ' ἀῤ ἐφέλμαῖς
Μιῆιν ὄγ' ἀλομφάλω ἀλὸς αὖ ἀπέπαυσε ϑεείαις;
Καὶ Θέτις ἀὐπλόκαμε μάλ' ἀγάσαλο νῆα μέλαιναν
Κυδαλίμοιο Πρόμυ Δανῶν· σόνε ὤρνυ' ἀείκης
Ἐξαίφνης κὲ Θεᾷ νεκυοσόλον ἀγχόϑ' ἱδύσῃ·
Ἣ ἧ παλιμπλαγχθεῖσα φύγεν πολιοῖο Χάρωνε
Εἰνάλιον κύμβιν· ὃς τᾧχεν ἑλώριον ἄδῃ
Λαμπρόταλον γ' Ἥρωα, μινυϑάδιόν πε ἑόντα.
Καδδέ κεν ἀὐχωλιὼ Ἐρέβευς ἀνέρων τ' ἐρεβεννῶν
Εὐπάλεις Ἄρχος ἔβη ποτὶ Κωκύτοιο ῥέεθρα.
Ἀλλ' Ἡρωΐνη γ' Ἀλβίονε ἀγλαοϑώκε
Δάκρυσ' ὀϊζυροῖς, ἠδ' οἰμωγῇσι μιγείσης
Αἰάζεσ' ἀλόχοιο μόρον φθινύϑεσκε φίλοιο κῆρ.
Οὐ μέλιλος γλυκίων αὐδή τοι ἔϑηκε Μεδόντων
Ἠβαιὸν κείνῃ παυσωλεύ· ϑέσφαλε ὀμφὴ
Πυκνὰ μόγις συφέλιξε νέφη λυγρῶν ὀδυνάων,
"ΑΝΝΗ, πίφϑ' αὕτως, ὑψίζυγε, πίπλε σὺ κλαίεις;
Στῆ γὰρ ὑπὲρ κεφαλῆς σεῖο πολίπορθε Ἐνυὼ,
Ἠδ' ἄρ' Ἀθηναίη, σέο τ' ὄμμασιν εἰσέτι δῶκαν
Παμφανόωντα μέγαν ῥὰ ΓΕΩΡΓΙΟΝ, Ἀσέρα Δανῶν.

Gul. Warburton, A. B. Coll. Div. Johan.

Ad REGINAM.

Non ſemper agros ſævit in hiſpidos
Denſis *Orion* nubilus imbribus,
Aut horret æternùm pruinis
Sarmatiæ glacialis ora:
Non ſemper atris condita nubibus
Recuſat orbi ſpargere lumina
Phœbus, nec *Auſter* vexat æquor
Perpetuis tumidum procellis.

EPICEDIUM

Tu ſemper urges non revocabilem
Crudeli ademtum funere Conjugem,
O Quæ beas *Gallis* timendos
Imperio facili *Britannos*:
Te non levandis tundere planctibus
Aſſueta caſtis pectora amoribus
Sol cernit inclinans *Olympo*,
Et roſeo veniens ab ortu.
At non per omnes funus *Adonidis*
Ploravit annos Mater amabilis,
Nec lacrymarum lavit uſque
Fluminibus viduum cubile.
Tandem O Querelis pone modum tuis,
Orbæ parentem redde *Britanniæ*,
Vultuque promittas ſereno
Ire dies meliore *Phœbo*.
Ardet dolorum plena *Britannia*
Mutare plectra, & jam potius novos
Cantare *Churchilli* triumphos,
Et *Bavaros* iterum fugatos.
En! quanta genti funera *Gallicæ*
Churchillus adfert vindice dextera,
Ut nulla vis devitat ictum
Eugenii indomitæque mortis!
Placare Manes ſic decuit pios.
At Te *Danorum* ſanguine Regio
Prognate Princeps, quem ſeveræ
Ante diem rapuere *Parcæ*,
Cœlum recludens immeritis mori
Virtus ad arces evehet igneas;
Et Navitæ ſidus benignum
Æquora tuta dabis *Britanno*.
Seu merce onuſtus divitis *Indiæ*
Horrenda monſtris tranſiliat vada,
Seu *Gallicas* per regna avita
Urgeat intrepidus carinas.

R^rus Long, A. M. Aul. Pemb. Soc.

FILIA *Mnemoſynes*, Divûmque æterna propago
Melpomene, quem Diva paras? cui carmine digno

Poſſe

Poſſe dabis Vati tantos celebrare dolores?
Vos etenim *Pindo*, Divæ, doluiſtis acerbum
Interitum, & fatis tantum licuiſſe ſeveris.
Et tua deflemus dum funera, Maxime Princeps,
Reſpondêre undæ mœſtis, & ſaxa, querelis,
Mænaliæ moto gemuere cacumine quercus,
Et dum luctantes captant ſuſpiria venti,
Triſtia commotæ jactarunt murmura frondes.
Tuque pater *Triton*, imo de gurgite vultus
Exere cæruleos, *Triton* pater, exere vultus,
Strataque divinum diffunde per æquora carmen:
Sed non quale canis, placidâ *Neptunus* in unda
Cum vehitur curru ſublimis, & æquora nutu
Componit; pontuſque Deum, venerantur & auræ.
Nec quale æquoreis juſſa ad *Neptunia* Divis
Cantâſti, plauſuque undæ fremuere ſecundo,
Te reducem cum læta ſinu *Britannia*, Princeps,
Sanguineis tenuit ſpoliis, palmâque decorum:
Sed mœſtus ſedeas deſerto in litore, aquarum
Immemor, atque gemens orbatum Numine pontum.
At Tu Magne fave Princeps, neque longius abſis,
Tollere ſive potens fluctus & ſternere eoſdem
Imperium teneas pelagi; ſeu ſidus amicum
Agricolis fulges radiis, & luce benignâ.
Tu modò ſi Campos *Britonum*, feliciaque arva
Reſpicis, & fauſto reſplendes lumine; Tellus
Educet flores, genitalia ſemina poſcet
Almus ager, plenâque *Ceres* flaveſcet ariſtâ.
Spirabunt *Zephyri*, blandiſque tepentibus *Auſtris*,
Aurea fœcundo ſplendeſcent ſecula Campo.
Sed ſi majores curas ſub mente revolvis
Tutariſque Viros, magnorum & facta Virorum,
Maxima *Marlburius* ſit cura, illum eripe letho,
Eripe bellantem, ferroque, & mille peric'lis,
Et caro totam ſerves in pectore Gentem.
Tum tua fumabunt meritis altaria donis,
Teque celebrabunt, perque omnia ſæcula famâ
Pierides nomen victurum; ſed mihi laudis
Te, ſat erit, dignè poſſim modo, *Maxime Princeps*,
Fronde ſepulcrali, & tenui decorâſſe querela.
Malburii laurus, & non imitabile fulgur
Enſis, & invictâ pereuntes Cuſpide *Gallos*

EPICEDIUM

Ille canet plenos cui indulſit Numinis hauſtus
Phœbus, & ora Viro felici proluit unda.
Si quando at niveis Victoria concrepet alis,
Et curas, Regina, tuas pax læta coronet,
Purpureamque trahas devicta per oppida pompam;
Accipiam plauſu venientem; & Maxima ſemper
Diceris nobis, & eris quoque Maxima ſemper.
Felix ingenii! tantas qui dicere laudes
Audebit, verſuque Tuos æquabit honores.
At Tu ſolliciti cujus pendemus ab ore,
Mitte ſupervacuos luctus, & inania Divo
Munera, nec poſcit fieri ſibi talia Conjux.
Et jam conciliis Divorum, illum aurea nubes
Conſpicuum latè ſuſtentat, & ore renidet
Purpureo, tua cura Illi jam ſola remanſit,
Gaudet, ſi lætare, Tuo dolet Ille dolore.
Atque O! ſi indignas lætabilis aura *Favoni*
Deſiccet lacrymas, risûſque reducat honores;
Si quando irradient divinum gaudia vultum,
Diffugient curæ, ponetque *Britannia* luctus,
Et meliore diem ſignabit lumine *Titan*.

Joh. Hedges, Coll. Pet. Socio-Commenſ.

ERGO erit in fatis ſemper miſcere ſecundis
Triſtia? felices nunquamne audire licebit
Eventus belli, quin te juvet invida acerbis
Vertere funeribus tantos, fortuna, triumphos;
Lætiſque *Angligenis* mœſtos inducere vultus?
Nec Vobis, *Batavi*, tantæ queîs publica curæ eſt
Exoptata quies, fuerat clementior ira
Parcarum, Vobis (Gens O cognata) dolenda
Summi fata Ducis; qui dira pericula *Martis*
Pertulit impavidus; ſpoliiſque oneratus opimis
Qui toties rediit ſuperato Victor ab hoſte.
Hic periit Princeps; hic magna extincta *Britannis*
Gloria, Qui quondam (teſtetur *Hibernia*) vitæ
Prodigus, inſtaurans acies, & ad arma cohortes
Fœdere conjunctas; immani cæde catervas
Proruit attonitas, nec Te virtute, WILHELME,
Conſiliove minor, diffudit ubique Triumphum,

Et

Et tandem feſſis pacem firmavit *Hibernis*.
Græcia ſi quondam egregios perſolvit honores
Pelidis tumulo; & tanto concuſſa dolore eſt,
Neſtor, morte tuâ: quales nunc, *Anglia*, fletus
Fundere Te gemituſque decet! cum numina veſtrum
Abripuere Ducem, ſolitum exercere ſupremum
Imperium pelagi, terrâque præeſſe *Britannis*:
Qui ſolus Te dignus erat, Regina: Tuumque
Conſilium regere, & Patriam defendere aperto
Marte ſuam potuit, Pietate inſignis & armis.
Sed poſcunt, ſed fata jubent; conſcriptus in albo
Divorum eſt Princeps: hinc quos tulit *Anglia* Reges,
Hinc quos *Dana* tulit tellus, circum undique fuſi,
Adventum ætherias læti gratantur in arces.
Auſpiciis, Regina, tamen felicibus hoſtes
Invadas; pergatque novis cumulare triumphis
Anglos Marlburius, donec per tela, per hoſtes
Sit patefacta via, & *Lodoicus* ſubditus ANNAM
Victricem agnoſcat, donec Pax miſſa per Orbem
Floreſcat; firmâque regas in Pace *Britannos*.

Jo. Battely, Coll. Trin. Alumnus.

QUISQUIS es, O Regni Cuſtos, Gentiſque *Britannæ*
Angele, cujus amor, cura laborque ſumus.
Te procul errantem, qua *Flandrica* caſtra vocarunt,
Heu! nimium longæ detinuere moræ.
Dumque ibi ſolicitâ circumvolitaveris alâ,
Malburio meditans læta Tropæa tuo:
Arripit hic faciles ridens *Libitina* Triumphos;
Et malè, furtivo Funere dives, ovat.
Neſcis ah! neſcis dum te tenet extera Tellus,
Quas dederit ſtrages ſors inimica domi.
Occidit auratæ Princeps celeberrimus Aulæ,
Deliciæ Procerum, Gentis & Orbis amor.
Gratior emicuit nuſquam Virtutis Imago:
Et ſimilis nuſquam Conjugialis amor:
Poſthabuit, cara præ Conjuge, *Martis* honores,
Quam grave crediderat deſeruiſſe nefas.
Donec erat cœlebs, necdum Regalibus auctus
Connubiis, olim fortiter arma tulit.

EPICEDIUM

Poſtea non licuit; nec Famam crimine viſum eſt
  Quærere: non tanti *Martia* Laurus erat.
Illi ſummus honos, Regina, & magna Tropæa,
  Sic melius vitæ conſuluiſſe tuæ.
Sic utinam ſemper—verum O! quid ſomnia nuda,
  Votaque cum gemitu fundere vana juvat?
Parce pias lacerare comas, aut condere vultum,
  Vultum, quo Populus ſtatque caditque tuus.
Dum tu mœſta jaces, cumulatis fletibus imples
  Omnia, proque uno Funere, mille facis.
Noluit iſta Pius, Quem fles; & fortè ſuperna
  Hoc pretio poterunt Regna placere minus.

Dan. Waterland, A. M. Magd. Coll. Soc.

Quæ tanti Cauſa eſt Luctûs? quæ Meta Doloris?
  Merſa jacet Lacrymis Terra *Britanna* ſuis.
Occidit heu! Princeps, Fatis abreptus iniquis;
  Stemmate qui magnus, nec Pietate minor.
Anglia quem coluit, peramavit Regia conjux,
  Quo vivo, Imperii nec grave ſenſit onus.
Alma Parens Patriæ, Terris, Te flente, Tenebræ
  Incumbunt; lætos non ſinis ire Dies.
Ob Lacrymas veſtras *Galli*, Regina, Triumphant!
  Illæ, quod nequeunt Arma parare, dabunt.
Lætitiam quin mitte tuam, *Lodoice*! Triumphos
  Siſte, reviviſcet Viribus ANNA novis.
Sic caput in nubes quum *Phœbus* retrahit atras,
  Alma brevi Terris Lux magis aucta redit.

H. Vaughan, Coll. Regin. Alumn.

Dum dura belli exhauſta pericula
  Audit ſonantem *Timothei* lyram, &
Faſtidioſos inſolenti
  Lætitiâ renovat triumphos
Victor; malignus gaudia temperans
Oborta vates, Funera Principum,
  Triſteſque *Darii* ruinas
Ingeminat graviore plectro.

Sic,

Sic Diva ſævis læta nimis jocis
Fortuna, belli proſperat exitus,
  Contaminatque luctuoſis
    Funeribus lacrymiſque Pompas.
Victoriis ſpectata *Britannia*,
Nuper ſuperbum quæ caput extulit
  Regnis beatis invidenda,
    Jam domitis miſeranda languet.
Regina poſcit Numina Conjugem,
Et conſulentem Curia Principem,
  Ducemque, gaudens non pudendis
    Vulneribus ſpoliiſque Miles.
Teſtes *Suëci*, Quantus in obvios
Armatus hoſtes iret, & integrâ
  Cum laude victrices, revictas
    Sterneret exitio catervas.
Quid poſſet Heros Auſpice GEORGIO
Teſtantur acri clade ſuperbiens
  Ramilliæ campus, graviſque
    Bleinhemiæ ſonitus ruinæ;
Et inquinatos ſanguine *Gallico*
Jam doctus *Iſter* volvere vortices,
  Et *Marte* noſtro decolores
    *Eridani*que *Tagi*que fluctus.
At, orta noſtris luctibus, impia
Tumultuantis gaudia pectoris
  Compeſce, ne vices reponant
    Fata tibi, *Lodoix*, ſuperbas.
En! jam Tuorum funera, Regnaque
Contracta ſentis; *Inſula*que excipit
  Heroas ingentes, & ANNAM
    Compoſitis veneratur armis.
Et ANNA, Cui nunc lumina languido
Dejecta vultu, Pulchrior aſpici
  Luctu fruetur, mox ſuperbos
    Luce novâ decorans Ttiumphos.
Sic diſſipatis clarior emicat
Phœbus tenebris, impatiens diu
  Latere, per nubes, ab ipſa
    Ducit opes radioſque nocte.

F. Peck, Trin. Coll. Alumn.

EPICEDIUM

Ad Comitem de BRIDGEWATER, *Principi nuper defuncto Præfectum Equorum.*

RESPICE naſcentem, Magne *Egertone*, *Camenam*,
Naſcentem è lacrymis, non *Heliconis* aquis.
Si dignêre tuis ſocios admittere luctus,
Luctibus accedat noſtra querela tuis.
Abreptum flemus Dominum communiter ambo,
Maxima Tu magni Pars, ego parva, chori.
Sed propiora movent te damna, fidelis *Achate*,
Dum rapit *Ænean Parca* maligna tuum.
Grandia defuncti canat alter Principis arma,
Otia nos canimus non memoranda minus.
Ah! quoties vidi procul ambitione remotâ,
Vos ſimul in parva delituiſſe domo.
Dum vobis deſerta dolent cœlo æmula tecta,
*Vindſoriæ*que arces *Hantonii*que lares.
Ah! quoties vos exiguos errare per hortos,
Et placidâ æſtivum fallere voce diem.
Quid dulces memorem vultus? quid pectus amicum?
Quid renovet luctus muſa moleſta tuos?
Fama, prius thalamos cecinit quæ lætior ANNÆ,
Et dolet extinctas jam quoque mœſta faces,
Tandem fata queri ceſſet nimis aſpera, ceſſet
Rupta maritalis fœdera flere tori.
Jamque iterum incipiat conſtantes dicere amores,
Conjugium celebrans, Fauſte Marite, tuum.

Fran. Colman, C. C. C. Alumn.

DUM magnus *Lodoico* inſtat victricibus armis
Marlburius fulmen belli, dum *Hiſpania* Regem
Auſtriacum fictiſque dolis, armiſque *Philippi*
Majorem agnoſcit, dum felix *Anglica* claſſis
Vendicat imperium maris, & Pater omnibus undis
Oceanus ſervit nobis, & mole ſuperbum
Se tantâ jactat; tu, Princeps optime, luctum
Exigis (O nuper decus & tutela *Britanni*
Nominis) expoſcis lacrymas, tu gaudia tanta
Abrumpis, cogiſque pio indulgere dolori.

Hei

Hei mihi qualis eras? cum felix *Dania* flammas
Pectore gliſcentes ſtupuit, cum maximus armis
Straviſti hoſtiles acies, victorque triumphans
Optatam Patriæ pacem populoque dediſti;
Ut vultu exarſit rabies! ut lumine torvo
Invaſiſti hoſtem! Fratrem cum fervida virtus
Egit in obſtantes, virtus peritura, niſi ipſe
Omnia *Gradivo* ſimilis tela inter & arma
Irrueres, certus ferre ultima tædia belli,
Ut Frater parmâ fratris protectus abiret:
O mirandus amor! quem non ſitis ardua Regni
Non movet ambitio; pietas & mens generoſa
In fratrem, ſuperat quicquid ſuadere malorum
Poſſit honos Sceptri, & regnandi dira cupido.

Hei mihi qualis eras! cum felix *Anglia* & ANNA
Te juvenem accepit, cum vento & amore ſecundo
Te fatum nobis conceſſit; *Marte* valentem
Anglia te faſſa eſt, te ſenſit *Ierna*, WILHELMUM
Cum ripæ impatiens & Diîs & viribus æquis
Boiniacos ſprevit fluctus, amnemque ſonantem.

Hei mihi qualis eras! cum prudens ANNA *Britannæ*
Conſuluit famæ, cum te, Digniſſime Princeps,
Præfecit claſſi, tua maxima & impigra virtus
Suffecit pacem nobis, orbique ſalutem.

Non tamen hæc fati minitantia tela retardant,
Aut rigidum fallunt *Orcum*, nil vota tuorum,
Nil ANNÆ valuere preces; demeſſus iniquâ
Parcarum dextrâ Majorum aſcriberis umbris.

Quin, Anima illuſtris, dum clari limen *Olympi*
Miraris, nubeſque vides, *Titania*que aſtra
Sub pedibus, mœſti gravia infortunia regni
Reſpice, quamque olim, dum Te *Brittannia* cepit,
Ornabas, facili tuearis numine Gentem.

Carol. Cole, Aul. Clar. Alumn.

QUID ſubito mœſtum concuſſa *Britannia* vultum
Sumit? flebilibus quid perſonat Aula querelis?
An *Britonum* turmas atrox *Bellona* flagello
Sanguineo fudit, claſſem vel *Tethys* in undis
Angliacam merſit tumidis? bona publica gentis

EPICEDIUM

Quidve malum his gravius læſit! Dic Muſa, canoros
Nec gemitus cohibe, & triſtis modulamina planctûs:
Invida *Palladium* rapuit *Libitina Britannum.*
O mundi communis amor! Cui protulit ætas
Multos nulla pares, venerandâ Palladis arte
Exuperans plures, Divo, mentiſque benignâ
Temperie, Auguſto ſimilis; cui pace ſerenâ
Conſpicua eſt pietas, Invictaque dextera bello.
Sed quo Muſa procax tendis? tibi facta GEORGI
Grandia non fas eſt tenui deſcribere verſu:
Sortem ANNÆ potius lugubri carmine defle;
Sed nimius Labor iſte, etenim quæ Muſa canendo,
ANNA, tuos æquet luctus? dum, ut funus *Achillis*
Diva *Thetis*, rapti fatum vel ut *Hectoris* atrox
Andromache; luges demti tibi fata Mariti.
At tandem Conjux mœſtiſſima deſine luctûs,
Deſine lucentes Lacrymarum fundere rivos.
Laude pudicitiæ clarus; qui fœdera ſacri
Intemerata tori ſervavit, GEORGIUS, arces
Ætherias petit, & curis, & pondere molis
Terrenæ liber, tranquillus pace quieſcit,
Æterno & fruitur divini nectaris hauſtu.
Nec tamen omnino poterat mors invida totum
Tollere de terris, cunctas ſe fundet in oras
Fama ſui, magnum dum ſol luſtrabit Olympum,
Virtutiſque ſuæ Monimenta æterna manebunt.

Georgius Monſon, C.C.C. Commenſ.

SECUROS dudum Pelagi Terræque *Britannos*
Imperio ANNA regens Terras, & GEORGIUS undas
Præſtiterant, tutæque indulſere otia Genti.
Sed quis creſcenti Oceano *Neptunus* habenas,
Hoc rapto, imponet, quin ſalſis imbribus auctus,
Litoris impatiens, mœſtum ferus obruat Orbem,
Atque novos tollant Populi ſuſpiria Fluctus.
Cærula Nereides lacrymis extendere Regna
Inſtant, ſacra pio Buſta ut comitentur honore,
Ut ſocient luctus, Dominumque querantur ademtum.
Nunc primum tanto Claſſis ſpoliata Magiſtro
Contremit, & formam *Phrygiis* afflicta carinis

Invi-

Invidet immortalem: udis ſeſe addere *Nymphis*
Quàm cupiunt Puppes; æterno ut jure miniſtrent
Cimbro, & adhuc Divo Divæ Rectore fruantur.
Quos caſus dubii non formidavimus, ex quo
Syllinis nuper periit *Palinurus* in undis,
Illiſæ ſcopuliſque rates? Exterruit Omen
Solicitos, monuit GEORGI tum Sydus in alto
Ægrius (heu!) Nautis fulſiſſe, & denſa repente
Tecturum extinctis ſeſe inter nubila flammis.
Aſpera fata nimis!—Tamen hoc ſolamur acerbum
Principis occaſum: Non auxit morte Triumphos
Hoſtiles; non *Gallo* infelix Præda ſuperbo,
Non *Suecis* cecidit: *Suecis*, quêis funera dextrâ
Olim multa dedit, medios cum fortis in hoſtes
Irruit, & denſis incluſum forte catervis
Eripuit Fratrem, certâque à Morte redemit.
O! utinam ſolitum ſeris potuiſſet in annis
Sudorem, durique pati diſcrimina *Martis*
Indomitus, firmoque ſtetiſſent corpore vires.
Non longo miſeris *Lodoix* illudere Bello,
Non Puer *Angliacum* auderet ſibi poſcere Sceptrum,
Noſtra nec hoſtili viſiſſet litora Claſſe
Impune.—At feſſos quatit æger anhelitus artus,
Inviſamque diu cogit tolerare quietem.
Non terit Ille tamen poſitis inglorius armis
Luxu molli ævum, at generoſo pectus Honeſto
Imbuit, & rigidus cuſtodit Jura ſatelles.
Magni opus hoc Animi eſt: ſic vicit ſe quoque bello
Functus, majoreſque agit ipsâ in Pace Triumphos.
ANNA, Tui ſolo ceſſit devictus amore,
Tu ſola inflexiſti animum, dum mutua ſacrum
Ornat Flamma Torum, ſocio primaſque cubili
Foviſtis puro fulgentes lumine Tædas;
Veſta nec æternos ſervavit caſtior Ignes.
Æternos utinam Vobis quoque——Tu tamen, ANNA,
Deſine fœcundi fletûs; dum GEORGIUS Aſtris,
In Terris actos, gaudet celebrare Triumphos:
Marlburius fauſto dum *Gallos Marte* fatigat
Uſque, & victrici redimit Tua tempora Lauru.

Sam. Saunders, A. M. Coll. S. Joh. Evang. Soc.

EPICEDIUM

ERGONE Ætheriâ non veſcitur amplius aurâ
GEORGIUS? *Angliadum* Fama Decuſque perît?
Cui tamen & longum vani promiſimus ævum,
Et quos *Parca* tibi demſit, IULE, Dies.
At, necdum ſatiata, furit Dea ſæva; jacetque
Tecum una ÆNEAS, triſtis IULE, Pater.
Quam nunc diſſimilis, quantum mutatus ab Illo!
Qui quondam victis hoſtibus ibat ovans.
Vos, animæ, teſtor, quas hinc demiſit ad *Orcum*,
Et te quæ late, Terra, cruore rubes.
Ut per *Suecorum* fuſis equitavit habenis
Turmas; & lauros & ſpolia ampla tulit.
At nunc pro lauro crines tegit atra Cupreſſus;
Et languet, dudum *Marte* tremenda, Manus.
Ah! quàm diſſimilis, quantum mutatus ab Illo!
Viſit qui *Angliacos* Regius Hoſpes agros.
Quum lætum ingentes complêrunt Æthera plauſus;
Signaque lætitiæ Plebs, Procereſque dabant.
Pro læto auditur nunc triſtis Nenia plauſu,
Proque Maritali, Tæda Rogalis adeſt.
Quod ſi, vota truces potuiſſent flectere *Parcas*;
Aut duras Virtus ſumma movere Deas.
Non eſſet tantos experta *Britannia* luctus,
Non Orbata Virum quæreret ANNA ſuum.
Sed nil vota valent, nil puri flectere mores,
Nil virtus, Parcas; aſpera fata negant.
Mitte igitur vanos, ſat Fauſta *Britannia*, luctus,
Solâ ANNA imperium, Fauſta, tenente tuum.
Tuque O, ingentes obliviſcare dolores;
Jam ſola, Imperii ſis memor, ANNA, tui.
Deſine noſque tuis, teque exanimare querelis;
Luctus, quæ vincis cætera, vince tuos.

Phil. Herbert, Coll. D. Johan. Evang. Socio-Commenſ.

QUÆ modo devictas acies Urbeſque canebas,
Cogeris, Heu! triſtem plectere, Muſa, lyram.
Accentus modulare graves, & planctibus ornet
Tergeminis carum lacryma crebra rogum.
Bellicus occubuit Præſes: ſtat luridus ore
Pallor, ubi quondam *Martia* forma ſtetit.

Fulgor

Fulgor ocellorum tenebroſos deſerit orbes:
Et premit Auguſtum terra ſuperba caput.
Marcet frontis honos, & palma & Laurea flaccet,
Et mœſtas partes atra cupreſſus agit.
Caſtra Ducem, Nautam *Neptunus*, & ANNA Maritum:
Nos Dominum, orta ſalo flet *Cytherea* Deum.
Ædes Cultorem, Civem Reſpublica, Patrem
Curia, Gens Pugilem non habet ulla parem.
Hujus ad exemplum, bona ſi ſua noverit, Aula
Floreat, & puras vibret ad aſtra faces.
Non erit in querulas diſtincta *Britannia* partes;
Nec Damnoſa olim nomina peſtis erunt.
Hujus ad ardores, nôrit Bona ſi ſua Conjux,
Pax erit in menſis firma, ſaluſque toro.
Hujus ad arma, ferox remeabit miles ab hoſte
Victor, ſed qualem Victus amare velit.
At jacet Emeritus; clarique inſignia Belli
Quot numerata orbis vix capit, urna capit.
Quin agite exequias: Feretro prætendite flammas
Regali, quales *Marte* tonante micant.
At violas molleſque Roſas ne ſpargite Vicis;
Fœmineos decorent talia juſta Rogos:
Sternite ſed fractas galeas, tormentaque, & Haſtas,
Vincentis toties pulchra tropæa Ducis.
Horriſono quatiat nubes Bellona fragore,
Purpureoſque imbres fundat uterque polus.
Et tumulo ærato hæc cælentur pauca, Triumphans
Victorum ſpoliis Vulneribuſque jacet.
Aſt Tu, Celſa Parens, Rivos occlude dolorum:
Et lambat lacrymas Flamma Marita pias.
Ecce! Ut creſcit honos ævo creſcente; Triumphos
Elicis è mediis luctibus aucta Novos.
Scilicet humano qui fulmine Vicerat Olim,
Nunc jacit armati ſpicula certa Jovis.
Euge! Tua Angelicæ defendent tempora turmæ,
Junctaque mens populi, Vitaque, Sorſque Tui.
Quumque oculos claudet feſſos ſpatioſa ſenectus,
Et Sponſum, at ſerò, Sponſa ſequeris ovàns,
Inter Cœlicolas veteres renovabis amores,
Et quæ *extincta* jacet Tæda, *perennis* erit.

Johan. Boldero, A. M. Coll. Chriſti Soc.

EPICEDIUM

QUALEM Trioni Gens *Aquilonio*
Subjecta ſeptem, quam rigido gelu
Aduſta nutrit Terra, & Imbres
Perpetuo exanimant nivoſi,
Vidêre *Phœbum* primum ubi culmina,
Curſu peracto, lumine lurido
Riphæa tangit jam recedens;
Nec celeres jaculatur ignes:
Noctis futuræ præſcia Montium
Anhela ſcandit ſumma Cacumina, &
Depaſcit importuno ocello
Chara Dei fugientis ora:
Talem, ſororum dira jubentium
Fuſo evoluto, mœſta *Britannia*,
Auguſte Princeps, Te revulſum
Vidit, & exanimata plangit:
Te, Cui ſupremus Rex Hominum, & Pater
Neptunus Alti cærulei potens
Telluris Invicto Mariſque
Imperium grave ſubjugârunt.
Quæ fulminantem *Marlburium* tremens
Non ſenſit ora? atque Oppida percito
Curſu peragrantem? Tuiſque
Bella ſub Auſpiciis gerentem?
En! ut fugatos *Danubius* rapax
Hoſtes profundo proruit alveo! ut
Germana Gallorum ſuperbo
Riſit Humus ſaturata tabo!
Fugit relictarum immemor Urbium
Ignarus olim Dux *Bavarus* fugæ:
Sed vera Virtus ſemper odit,
Cum ſemel exciderit, reponi.
Quin & Coronas *Nereides* Tuis
Nectunt ovantes Temporibus ſacras;
Cui ſæpe debellata Claſſis
Egregios peperit Triumphos.
Videre junctas jam videor Rates,
Undantem & atris æthera nubibus;
Spumantis ardent inter ignes
Summa Maris rutilaſque flammas.
Dirùm carinis *Rookius* intonat
Tormenta pandens ordine triplici;

Spar-

Spargitque disjectis rubentes
Corporibus, Ratibusque fluctus.
Dixitque tandem plena *Toloſius*
Vento daturus Carbaſa, Quis Furor
Inſtigat, O Cives, iniquo
Prælia Vos renovare *Marte?*
Claſſem ſuperbæ Vidimus Inſulæ;
Hinc ampla veſtro Gloria Nomini:
O quanta! contendiſſe tantis
Viribus, & ſupereſſe Pugnæ!
Nil *Danicæ* non efficient Manus:
Secura Nautis *Anglia* per Freta
Regnet; nec imbelles laceſſant
Impavidas Aquilas Columbæ.

Ricardus Attwood, A. M. Aul. Pemb. Soc.

SICCINE, quod Superi multo ſudore paratos
Concedunt nobis repetito *Marte* Triumphos,
Triſtitiæ ut, victi curâ propiore, vacemus?
Quid proſit, quamvis redeat *Brittannicus* Heros
Fronde triumphali Victor; denſata Cupreſſo
Limina ſi rediens videat Regalia triſti,
Perfuſos lacrymis populum populique Magiſtram?
Ingens turba virûm fuerit, cum juſta peric'li
Urgeret ratio, votivæ prodiga vitæ,
Ut facili flueret lapſu jucunda GEORGI
Ætas, Regales thalamos tædaſque colentis.
Vulnere lethali ſed jam confoſſa *Britannûm*
Gens effœta jacet, morboque laborat eodem
Quo Princeps periit; convellit anhelitus æger
Funeſtos artus, ſolo medicabilis illo
Phœbo, Reginæ miſeros qui ſarciat ictus.
Albion en ſecum: 'Divûm, inclementia Divûm
'Aularum Decus, & Villarum Gaudia rollit;
'Aulicus exanguis pullatâ veſte pererrans
'Ereptum queritur Dominum, ploratque Colonus
'Patronum. Quanto proh me! de culmine rerum
'Dejicior, refluo fatorum funе, caduca
'In præceps referor, fingens felicia ſec'la?
'Nil potuit ſupplex ſacris genibuſque volutans

EPIGEDIUM

'ANNA? Deorum iras nil flecteret illa precando,
'Ne lethum Penetrale, quod ipſa ſacraverat, intret?
'Sed ſiſtam queſtus: conſcendit limina Cæli
'Princeps, atque iterum dios libavit amores
'GLOVERNI exultans: Et ſpes manet altera major,
'Deliciæ *Britonum* — Proprio ſplendore coruſcet
'ANNA diu terris felix; ſeroque reviſat
'Affines Superos, Natoſque almumque Maritum.

Edw. Potter, A. M. Coll. Emman. Soc.

MODUM querelis flebilibus pudor
Quis ponet; aulam funere dum tuo
Sors, Alme Princeps, decoloriſque
Aſpera lætitiam triumphi
Inceſtat? Omnis Te Dominum æquoris
Gurges peremtum murmure lugubri
Deplorat, & quodcunque ſulcant
Angliacæ pelagus carinæ.
Dani decoro pulvere ſordidum,
Te glorioſoque *Albion* otio
Deflet illuſtrem, creditique
Oceani placido levantem
Clades tridenti: Teſtis *Iberia*,
Claſſes tonent quo fulmine, Te tuos
Præbente Divos, Ultimuſque
Incolumi patriâ *Britannus*.
Fidelis ignes ANNA tori pios
Caſtumque amorem mollibus anxia
Urget querelis, invidoque
Fila nimis properata fato.
Fruſtra ſereno pacis amabilem
Heroa cultu, Terribilem hoſtibus
Heu *Marte* fruſtra, Regiumque
Condecorant genus, & cubile!
Nihilne Lethi ſupplice præpetes
Tardantur alæ, nil prece Cœlites
Moventur ANNÆ, pervicaces
Nec ſuperos pia vota tangunt?
Malis fatigant, *Albion*, anxiis
Delicta ſontem Te tua: ſedibus

Abreptus

CANTABRIGIENSE.

Abreptus indignis beato
Inſeritur numero Deorum
Princeps. Novis ah! flagitiis, cave,
Ne victa cælo Numina debito
ANNAM reponant, alteraſque
Delicias rapiant *Britannûm.*

Tho. Johnſon, B. D. Coll. Emman. Soc.
Illuſtriſſimo Duci *Somerſetenſi*, Academiæ
Cantabrigienſis Cancellario, à Sacris domeſticis.

Ad REGINAM.

INVIDA Magnificos tentant fœdare Triumphos
Fata heu! funereis non ſatianda Rogis.
Sæpius abreptam flevit *Britannia* Prolem,
Spes cecidit veſtri jamque ſuprema Tori.
O! Regina gravem jamdudum experta Dolorem,
Concutiunt requiem qualia Damna Tuam!
Ni tibi Cœleſtis fuerit Mens, ardua ſpirans,
Haud ſane poteras Vulnera tanta pati.
O Tibi concedant Superi, fauſteque diuque
Ut præſtes populo Tu ſacra Jura tuo.

Tho. Emerſon, A. M. Aul. Clar. Soc.

Britanniæ Threnodia.

QUÆ mihi feralis de rupibus adſonat *Echo*,
Ingeminatque graves lugubri voce querelas?
Audio, Me miſeram! nec fallit Nympha! maligno
Lætatur luſu veros renovare dolores.
Occidit (heu!) mea certa ſalus, *Neptunius* Heros,
Soſpite quo, liquido mihi perpes in orbe Triumphus!
Quis jam *Tiphys* erit, cui credere regna profundi
ANNA velis? *Britonum* quiſve imperioſius æquor
Temperet imperio? Ventoſque immane furentes
Arte ſuâ vincat, faſque immortale carinis
Præbeat *Angliacis*? — En ſuſcipit ore ſecundo
Pembrochius (Regina) tuus, dignatur & arces

EPICEDIUM

Scandere velivolas, & mœnia noſtra tueri.
Huic confiſa, tuo nimium ne cede dolori;
Pone metum: Charum fertur non ſemper *Adonin*
Flêſſe *Venus*: pluvias nec ſemper parturit æther.
Quid ſi primus Amor deceptam morte fefellit,
Ipſa benigna tuis demum connupta *Britannis*.
Jam populo ſoli vives, & ad inſtar ELIZÆ,
Tu diviſa prius, *Britonum* nunc integra fies
Juno, *Minerva*, *Venus* famam meritura perennem.

E. Barly, Coll. Chr. Alumn.

Ad REGINAM.

IMMENSOS tenuis ſolari Muſa dolores
Vellet, & hoc tantum ſic voluiſſe datur.
Munera parva fero, nec ſpernas, ANNA, ferentem,
Si ſua & his parvis gratia ineſſe poteſt.
Granta tuas dulci deludat carmine curas;
Hæc erit *Aonio* gloria digna Choro.
Talia non ſolitum medicamen vulnera poſcunt;
Crudeſcent, durâ ſi modo tacta manu.
Sæpe meæ, mortem cum tu, GLOVERNE, ſubires,
Fletibus haud fictis immaduere Genæ.
Tum facilem venam puero mihi deêſſe querebar,
Materiam Venæ jam queror eſſe meæ.
Orbatam natis, Orbatam Conjuge, luctus
Non *Nioben* tantos ſuſtinuiſſe ferunt.
Diriguit cernens tot funera, ſed tibi Virtus
Quæ, Regina, ſatis Te tueatur, adeſt.
Altera Tu *Niobe*, ſed quam longè altera! Major
Fortunâ, Divis dum minor eſſe ſtudes.

Radolph. Bourchier, Trin. Coll. Socio-Commenſ.

ERGO redemptam ſanguine gloriam
Invicte Princeps! conſilio tuo
Quaſſaſque *Gallorum* intuemur
Oceano dare terga naves?

Ergo

Ergo ſonabant *Martia* Claſſica
Pæana lætum? nox ſolium tibi
Sublime calcanti datura
Funereos, pia thura, ritus;
Ut te nitentem ſtemmate regio,
Et clariori fulgure gloriæ
Virtutis emenſum labores
Ad Superas patriaſque ſedes
Divi referrent? proh! miſerabilis
Procella luctûs. Jam *Lodoix* agas
Vanos triumphos; jam ruina
Bleinhemiâ graviore clade
ANNAM ſubactam *Gallia* tibiâ
Victrice cantes, fletibus obrutam
Lugubri, & infauſto *Britannam*
Funere ſuccubuiſſe gentem.
At rurſus illam Relliquiæ tuæ
Statim tremendis bella tonitruis
Cernent gerentem, ad uſque *Martis*
Invidiam, opprobriumque Veſtrum;
Cui vel recentes lux nova proferet
Quævis triumphos, dum citò *Gallia*
Faſtus reponens impetrabit
Sollicitâ prece dona pacis.

Abrah. Sharpe, Coll. Chriſti Alumn.

Θ ΕΣΠΕΣΙΟΝ Μεσῶν Γεράντη χορὸν ἐξ Ἑλικῶνος
Εὔχετο ἡδυεπὴς γλυκερῇ κοσμῆσαι ἀοιδῇ,
Ἄνδρες ὅταν μεγάθυμοι, ἐπισάμβοι πολέμοιο,
Περθόμβοι Λιλλοῖο εὐκλίμβοιο πολίεθρον
Ἀγλιαδῶν ἐχθρὲς ἐδάμασσαν κάρτεϊ χειρῶν,
Κεῖατο λευγαλέως ὀβελημβόι, ὑτάμενοί τε·
Ἡμῖν ὲν σήθεσι φίλον δ' ἐχάρη μεγάλ' ἦτορ,
Αἰθρη τ' ἀννέφελος, λευκή τ' ἐπιδέδρομε αἴγλη·
Ὡς ὅταν ἠέλιος μέσον ὐρανὸν ἀμφιβέβηκεν,
Ἡδύ τι μειδιόων, γάνυται δέ τε ἄσπετος αἰθήρ.
Ἀλλὰ, ἔκητι Θεῦ, τὰ μελάτρεπα πάντα γένοντο,
Ἤδη θυμοβόρων τ' ὀδυνάων ἀμφεκάλυψε

EPICEDIUM

Γαῖαν ὅλλω Βεϊτόνων τὸ μελάντερον, ἠΰτε πίσσα,
Ὀρφναῖόν τε νέφος, καὶ ἀχλυόεσσα ὁμίχλη·
Λυγρὴ δέλη θανάτοιο κακὴ, μοίρης τὲ κραταιῆς
Ἥτορ ἀφείλετο κυδάλιμον κλειτοῖο Γεωργίω,
Οὐδέ οἱ ἀ χραίσμησ' ἀρετὴ, καὶ ἄκοιτις Ἀνασσα·
Ὡς δ' ὅταν ἠλιβάτων ὀρέων δεδόνητο θέμεθλα
Εὐρέα πυθμαίνοθεν γ'· Ἢ ὡς δρῦς ἀγανομήκης,
Ἣ ἄνεμον μίμνῃ, καὶ ὑετὸν ἤματα πάντα,
Ῥιζῆσιν μεγάλῃσι διωκεκέασ' ἀραρυῖα,
Ἣ δ' ἀδ' ὡς δρυτόμων ἀνδρῶν ὀρυμαγδὸν ἄλυξεν,
Ἀλλά μιν ἐξέταμον πελέκεσι νεήκεσιν· Ἥδε
Ἔσσενε, ὑψηλαί τε κόμαι κονίῃσιν ἔμιχθεν·
Ὣς ὁ μὲν αὐτὸς ὄλωλε, πύλας τ' Ἀΐδαο πέρησεν.
Ἀλλὰ σὺ, Ἄννα Θεὰ, κυδίστη, δῖα γυναικῶν,
Τίπτε φίλον μεγάλως ἄχεϊ βεβολημένη ἦτορ;
Τίπτ' ὀλοφυρομένη ἔπεα στονόεντα φορεῖς;
"Ὤ μοι ἐγὼ δείλη, ὅταις μ' ἐνέδησε βαρείαις
Παντοκράτωρ Βασιλεὺς, Ἄφθαρτος, ἰδ' Ἄμβροτος αἰεὶ
Οὐ μὲν ἐμοὶ καλάπαυμα μελαινάων ὀδυνάων,
Οὐδέ τ' ἀνάπνευσις, καὶ ὀϊζύος ὅττις ἐρωή.
Καιρὸς ἔλθ', ὅτ' ἐμοὶ πικρὰς ὠδῖνας ἐχεύσῃ,
Ἥρης θυγατέρες τέ, μογοστόκοι Εἰλείθυιαι
Ἐξάγαγον πρόφρασσε, καὶ ἠελίῳ ἴδεν αὐγὰς,
Ἀλλὰ, φαίδιμα τέκνα, ἵν' Ἀγλοις ἐμβασιλεύῃ,
Λευγαλέοιο ἧ πάντα τέλος θανάτοιο κάλυψεν.
Εἴως τ' Εὐγένιος, καὶ Μαρλβυείῳ μορφῷ πῦ,
Ἀμφότερον, βυλεύ τ' ἀγαθοὶ, κρατεροί τε μαχηταὶ,
Ἡμετερῶν στρατιῆς ὅσοι καὶ ἔασιν ἀρωγοὶ,
Δεινεύ τε βρυντεὺ, στεροπεύ τε, Θεοῖσιν ὁμοῖοι,
Εἰς Βεϊτόνων ἐχθρὰς χειρῶν σὺν κάρτε' ἔπαλαν,
Ἡμῖν γηθοσύνην, νίκην, καὶ χάρμα φέρουσες.
"Ὠλετό μοι καλὸς, μοὶ ἀπώλετο δῖος ἀκοίτης,
Νῦν βιότῳ τί μοι ἦδος, ἐπεὶ φίλος ὤλεθ' ἑταῖρος;
Κλαίετε καὶ σὺν ἐμοὶ αἱ κύμαλα ναιετάουσαι
Νύμφαι ἠχήεντα πολυπλάγκτοιο θαλάσσης.
Κλαιέτω αὖ Θάμεσις, παλαιὸς Ὠκεανοῖο γυνέτλη,
"Ηρπασεν ἣς θανάτῳ μεγάλης ἁλὸς Ἀρχιμέδοντα,

"Ος

Ὃς ἢ συμβασίλευε Ποσειδάωνι ἄνακτι.
Ὣς φάτ' ὀδυρομένη, γοερὸς τ' ἐφθέγξατο μῦθος.
Ἀλλά σοι, ANNA φίλη, μάκαρες θεοὶ, αἰὲν ἐόντες,
Ὄλβια, εἰρήνην, θαλίην δώσουσ' ἐς ἀμοιβήν,
Σοὶ γὰρ ἐοικότες, Ἀθάνατοι ἐλεήμονες εἰσι.

Tho. Sitwell, C. C. C. Alumn.

ERGONE fata ſecant regalis ſtamina vitæ,
Magnificoſque petunt ambitioſa rogos?
Si placet immanis ſtrages, & funere avaris
Ingenti *Parcis* luxuriare libet;
Nec triſtes ſatiare valent *Brittannica*, large
Gallorum effuſo ſanguine, tela Deas:
Quin populi de fæce dies maturior *Orco*
Quos ſignat, potius vis inimica rapit?
At tu quàm audaci violas, *Libitina*, GEORGI,
Heu! prius invicti falce maligna caput!
Tu quam præcipiti *Brittannos* vulnere terres,
Indigniſque fugas gaudia noſtra modis!
Scilicet Heroas nunquam matura coercet
Mors; carus cunctis qui cadit, ille brevis.

Johan. Raymond, Coll. Emman. Socio-Commenſ.

QUIS lacrymis pudor aut modus eſt? cum Flebilis ANNA
Irrigat auguſtas imbre cadente genas.
Cum Patres, procereſque gemunt, & Curia mœſta
Confeſſa eſt luctus, officioſa, pios;
Cum planctu ſonat Aula, egit *Libitina* triumphos
Quâ toties victrix, imperioſa, ſuos;
At quamvis Victrix, nondum ſatiata tropæis,
Nec minus illa potens, nec minus illa fera eſt.
En! ut *Danorum* Princeps, Dux, Gloria claſſis
Angliacæ, exiguus pulvis & umbra jacet.
Ille olim Magnæ conjux fidiſſimus ANNÆ,
Unicus Ille ANNÆ dignus amore, jacet.
Et jam, ſi *Parcæ* ſinerent, Ille optimus ANNA,
Tuque O ANNA tuo jam potirere Viro:

EPICEDIUM

Sed rigidæ *Parcæ*, ſed inexorabile fatum
Abripiunt ſummos, vix ſua jura, Viros.
Heu! qualem Vidi, cum ſol tulit aureus Horam
Quæ dedit ANNAM, Orbis ſpem, *Britonum*que decus.
Heu! qualem Vidi, cum Diîs, & *Marte* ſecundo
Gallorum inſanas contudit ANNA Minas.
Sed quorſum hæc? fati cum dextera ſæva minatur:
Nil ANNÆ, *Anglorum* nil valuere preces.
ANNA dolet, ſocios commiſcet & *Anglia* luctus
Reginæ ſemper condolitura ſuæ:
Sed tamen hoc, Regina, *Anglos* inrpenſius angit,
Hoc plagis onerat vulnera cruda novis.
Improba quod jam Mors per triſtia fata GEORGI
Oſtendit nobis, Te quoque poſſe Mori.

Clem. Cotterel, Aulæ Trin. Armiger,
Regiæ Majeſtati à Cæremoniis.

FAMA per *Angligenas* ſpargens TUA fata, GEORGI,
TE dixit ſubita voce FUISSE mihi.
Mendacem ſtatui: quid enim mendacius illâ?
Heu! quando triſtis nuncia, vera fuit.
Stemmata nil proſunt, nec avitæ gratia ſtirpis!
Maxima nil bellis gloria parta valet!
Cætera quid memorem? ſi poſſent Numina flecti,
Fecerat hoc ANNÆ non dubitatus amor.
Sed duræ *Parcæ*, ſed inexorabile fatum:
Hinc juſtum capiat lacryma amica modum.
Tu, REGINA, Tuî miſerens, miſerêre tuorum;
Namque tuo *Britonum* corda dolore dolent.
Abreptum *Priamum* ploravit Regia conjux,
Mœſtaque perfudit fletibus ora piis:
At captiva fuit; *Trojæ* quoque nobile regnum
Non ſtetit: hoc magni pars ſatis ampla mali.
ANNA, canunt, Duce MARLBORIO, tua regna Triumphos,
Auſpice TE, *Britonum* vincere certa cohors.
Hoc *Galli* nôrunt; hinc vertunt terga; ſed illis
Maximus eſt cædi non voluiſſe pudor.

Joan. Davies, A. M. Coll. Regin. Socius.

OPTI_

OPTIME Principum!
Qui jam Te faſſus es Mortalem,
Quod jam inceperis Immortalitate donari!
Optime Principum!
Quâ, certiſſimâ in Nos, Deorum irâ,
Ad Deorum properas, tam cito, Vitam & conſortium?
O! qui propitios ſemper meruiſti,
Et ſemper expertus es Deos;
Quos & Nobis (credibile eſt) dediſti propitios,
Eheu! cùm jam impenſius Tibi, cur non Nobis?

Immortalitatis veram affectâſti viam,
Deum, quoad Homini licuit, æmulando,
Hominesque, ut Ille, beneficiis demerendo:
Illum Pietate ſummâ, & aſſiduâ,
Hos Clementiâ, Æquitate, Candore admirabili,
Utroſque divinâ penè Virtute Tibi devinxiſti.

Tibi, fere Principum uni, hæc gloria contigit
Univerſis placuiſſe,
Vel ſine veniâ.
Summa morum Innocentia,
Inter mille Aulæ pericula,
Ita non Tibi violata, ut ſanctior evaſerit.
Sit aliorum Principum fama,
Virtutum velo ſplendidè celaſſe vitia;
Tibi, Cui deerant, quæ celares, vitia,
Vel Virtutes Tuas curæ erat celare:
Fruſtra: nam tanto conſpectius Illæ Te ornârunt:
Seu potius, quod Tuæ erat Modeſtiæ munus,
Tanto ipſas Virtutes Tu ornâſti magis.

Fama ipſa, quæ de aliis plerumque malum,
De Te locuta eſt nihil non optimum:
Illa Tibi, adhuc Juveni, perennes Lauros
Scandiaco detulit Triumpho.
Aſcendant alii tinctum cruore ſolium,
Tu, cujus Hæres Ipſe proximus,
Propriâ penè Morte depuliſti Imperium.
Opima alii ferant, de Rege occiſo, Spolia,
Tu, Rege Tuo incolumi,

EPICEDIUM

Tu, propulſato Patriæ fato,
(O decus! ô Facinus æternùm Memorabile!)
Opima pluſquam Spolia tuliſti.

Magnum Te Bello, nec minorem pace,
Fama aget pennâ metuente ſolvi:
Peribit citius Juſtitiæ ſuum decus;
Virtuſque abibit prius degener in Vitium;
Quam Fama Te Benignum, Juſtum,
Fortem, Munificum, Pium, Temperantem,
Et Pacis decus, ut Belli Fulmen ſilebit.
Dum ſuos intra fines Oceanus fluit,
Dum ſui non ſit oblitus, Te Dominum memorabit.
Dum Portus *Vigoniæ* æquor *Atlanticum*,
Fretumque *Herculeum* deſpicit *Herculeus* Labor;
Stabunt Tibi Triumphorum ſedes, & Monimentum.

Noluiſti Imperium; at his Te comprobaſti
Digniſſimum qui Imperares:
Imo &, Sola ANNA Minor,
Imperâſti:
Te certe ANNA minorem voluiſti;
Sed Ipſa, Quâ nihil majus meliuſve datur, parem.
Quinimo, quantum potuerunt Virtus & Amor,
Te ſolum vidit parem.

In maximo hoc Honoris & Gloriæ Faſtigio,
Nullum pene invidum habuiſti;
Inimicum Neminem:
Niſi quem & Virtus habuit, & Patria inimicum:
Quanquam & Inimicis Tu plurimum debuiſti,
Quos Bonitate ſingulari
Ita ſemper viciſti,
Ut majores in Cœlis jam agas Triumphos.

Rempublicam, Quam Tu vivus ſuſtinuiſti,
Quo poſſet mortem Ipſa Tuam ſuſtinere,
Aut quo minus mœſtam relinqueres,
Hæredem reliquiſti:
Ah! quam in hoc uno penè errâſti,
Quaſi aliquid levaret deſiderium Tui!

CANTABRIGIENSE.

At ô Deorum quocunque in Cœlo regnas,
Heroum Principumque optime!
Sis bonus ô felixque Tuis;
Ut Terras ANNÆ, ANNAM Terris relinquas.
O ſero Illam in Cœlum depoſcas,
Sinas ut noſtros curet Triumphos,
Maxima Triumphandi Ipſa Autor & Argumentum:
Sed, quia tanta Virtus nequit
Patrio non frui Cœlo;
Cum pacatum Orbem Ipſa beaverit diu,
(Si quid Mortalibus diu;
ANNA præſertim regnante ſi quid diu)
Tandem Cœlo ANNAM mirante excipies;
Atque ambo iterum perenniores,
Plaudente iterum, ut prius, Polo, Hymenæos
Concelebrabitis.
O compar jam tandem conjugium!
O felices ter & amplius,
Quos haud rumpenda tenebit copula,
Quam nec Supremo ſolvet Amor die!

Chr. Anſtey, A. M. Coll. Div. Joh. Soc.

TANDEM igitur luctu ſatiaberis, Improba, noſtro
Gallia; dimidium perdidit ANNA ſui.
At non fatalem poſuit *Marlburius* enſem,
Nec tardat Magnæ Vindicis ..rma dolor.
Mœſta quidem, de nube tamen tonat ANNA, nec actum
Ex mediis fulgur mitiùs uret aquis.

Jacobus Jurin, A. B. Trin. Coll. Soc.

Ad REGINAM.

QUÆ modo læta tuas geniali fœdere Gentes
Junxiſti, viduum nunc gemis Ipſa torum.
Fatorum ſecura Illis Tu vinc'la dediſti,
Cur poterant vinc'lis fata nocere tuis?
Conjugis extincti penſare *Britannia* fatum
Non valet, aut meritas reddere grata vices.

EPICEDIUM

Sed, quæ ſæva Tibi tanti Solatia luctûs
Fata negant, offert, pignora cara, ſuos.
Non penitus vidua eſt, *Phœbo* fugiente, ſed inter
Innumeras fulget Cynthia pulchra, Faces.

Geo. Newſome, Aul. Clar. Alumn.

ERGONE iter jam ſupremum, Cariſſime Princeps,
Abreptus à vultu tuæ
Conjugis, ire paras?
Siſte gradus, dilectæ ANNÆ pars maxima tecum eſt,
Sunt noſtra tecum pectora,
Spes, & amor populi.
Siſte gradus, non ſic lento langueſcere fato,
Non cara divelli à ſuo
Corpore membra pati;
Poſſumus, uſque licet fortes. O! digna Tyranno
Proſerpina inclemens viro;
Quæ tua jam feritas
Mille ſemel furari, animâ ſub Principis unâ?
Exilis ægrimonia eſt,
Sunt tenues lacrymæ,
Quas petit à paucis aliorum funus ocellis;
Hic buſta caræ conjugis
Luget, & ille patris,
Atque domi mærens ſedet, & convivia vitat:
Anguſta ſunt hæc nomina,
Limitibuſque ſuis
Incluſa, ulterius nequeunt diffundere luctus.
At Univerſis, Principis
Mors erit una, dolor.
Sic vix igniculos quis ſentit abeſſe minutos,
Si ſtella ſueto lumine
Illa vel illa caret:
Verum idem dolor eſſet, & omnibus una querela,
Si *Phœbus* æternâ caput
Nube ſuum tegeret.
Scilicet id quodcunque in amico funere mœſtum eſt,
Id omne nos in mortuo
Principe multiplici

Damno

Damno percipimus; pia dum caret ANNA Marito,
Caret fideli Curia,
Anglia cive bono;
Dumque ſuum flet *Granta*, ſuum *Redycina* Patronum,
Quis tantus eſt, qui tot gerat
Non minor ipſe vices?
Cui Tu, *Mars*, Frameam, cui Tu, *Neptune*, Tridentem,
Cui *Pallas*, audes Ægida
Credere terrificam?
Cui Regina, potes tenerum concredere pectus?
O uſque dignum mutuo
Pectus amore tuum.
Ah! fruſtrà indulſit nobis ſua munera cœlum,
Quæ ſi repoſcat, nos magis
Efficiunt miſeros.
Quis nunc ANNA modum tibi poſſit ponere flendi;
Quis afferat ſolatium,
Quo miſer ipſe caret?
Quam velles illi mœſtas comes ire ſub umbras?
Superſtes haud nunc integra,
Jam tibi cara minus.
Surge tamen, REGINA, minor certamine nullo,
Luctuſque, fortis cætera
Vincere, vince tuos.

Geo. Harris, Coll. Regal. Alumn.

PRÆCIPE *Melpomene*, lugubres Præcipe Cantus,
Nec gemitu pudeat jam graviore queri;
GEORGIUS, Ah! mediis triſtis Vox faucibus hæret,
GEORGIUS Heu! celeri funere raptus obit.
Omnis in Hoc Virtus placidè conjuncta refulſit,
Et Pudor, & Pietas, nec temerata Fides;
Inde ſibi immenſum pariter devinxerat Orbem,
Atque in utroque diu mutuus arſit Amor;
Sed medio amplexu extorſit furor invidus *Orci*,
Proh dolor! è gremio, ſanctior ANNA, tuo.
Hinc fit ut ANNA, novos cieat geminetque Dolores,
Merſaque ſit lacrymis *Anglia* tota ſuis,
Nec mirum, obducto vicini lumine Solis,
Si lateat nigra condita nube Dies!

EPICEDIUM

Ede gravem, miſeranda nimis *Brittannia*, luctum,
Forſan in hoc etiam dulce levamen erit;
Extinctum ſocio planctu inſectabere Natum,
Cimbrica Terra, licet ſit minus Ille Tuus;
Mœſta etiam ad *Phœbum* attolles capita alta Cupreſſus,
Tuque dabis triſtes paſſim, *Hyacinthe*, notas,
Augeat aſſiduis *Thameſis* quoque fletibus undas,
Tuque, *Thetis*, Dominum non habitura parem;
Uſque adeo rigidis cedunt primum optima Fatis,
Dum remanent quæ ſunt deteriora diu.
WILHELMUMque, ANNÆque prius Crudelia Natum,
Jam graviora tamen Diripuere Virum:
Deſine *Melpomene*, lugubres Deſine Cantus,
ANNA etenim ſupereſt; det ſupereſſe Deus.

Gul. Barcroft, Sid. Coll. Alumn.

VIDERAT audaces antiqua *Britannia* ſponſas,
Quales *Inachidas* Terra *Pelaſga* tulit.
Non timuere ſuos ferro violare maritos,
Et ſacrum *Danâ* ſpargere cæde torum.
Ne tamen ulterius ſponſis ſuccenſeat *Anglis*
Dania, compenſas ſcilicet ANNA, ſcelus:
Immani quamvis illæ gaudere ferantur
Crimine; pro cunctis, Tu ſatis Una, doles.

Jacobus Partheriche, Trin. Coll. Alumn.

ERGONE ſævo læta negotio,
Mors merſit atro funere GEORGIUM?
Ergone ſol noſter receſſit,
Conditus occiduis in undis?
At at! Tabernas improba præterit:
At nos valentes, vulgus iners, ſumus;
Dum falce crudelis minaci
Dulce decus *Britonum* recidit.
Sic fronde languent deciduâ roſæ,
Dum ſpina lætis ridet honoribus;
Sic occidit dulcis GLOVERNUS,
Dum Senio, *Lodoix*, vireſcis.

Quid

CANTABRIGIENSE.

Quid debeas, O *Dane*, GEORGIO,
Teſtantur atri flumina ſanguinis,
Teſtatur & pulcher fugatis
Ille dies patriâ tenebris.
Per tela quanto proruit impetu,
Quanto, catervas reppulit hoſtium?
*Sueco*ſque delevit fugaces,
Fulmineo metuendus enſe?
At ipſe ſurdis Jam cecidit Deis
Ingens tropæum! torpor habet manus,
Cinguntque pro victrice lauro
Tempora funereæ Cupreſſus.
Inauſpicatus, proh Superi! dies
Illuxit *Anglis*: *ibimus*, *ibimus*
Unà; ſilentes ſic ſub umbras
Ire Juvat, Duce Te, GEORGI.
Vos O! ſorores fila retexite,
Vos ANNÆ ademtum reddite cœlites;
Si fas! at obſtant fata; nulli
Bis pateant *Stygiæ* paludes.
At cur ademtum flebilibus modis
Lugetis *Angli*? Carcere corporis
Emiſſus, inviſit piorum
Concilia, ELYSIOsque campos.
At cur ademtum flebilibus modis
Lugetis *Angli*? nunc adiit domos,
Æterna quêis floret Juventus,
Perpetuoque Salus tenore.
At O! beatis ſedibus ELYSI,
In ſempiternâ dum requie ſedes,
Nos Mille circumſtant dolores,
Mille mali excruciant figuræ.
Dum nos caremus ſedibus exules
Deſideratis, heu nimium diu!
Ipſe exuens mortalitatem,
Perpetuos renovas triumphos.

Gul. Broome, Coll. Div. Johan. Alumn.

EPICEDIUM

ASTRA petis Cæſar, Terris tua Fama ſuperſtes;
Te Cæli poſcunt, ANNA tenere cupit:
Vita Ducis laudanda quidem, ſed reſpice mortem,
Quum periiſſe putes, incipit eſſe Deus;
Tu vitâ Terras ditâſti, Funere Divos:
Nobilior vitâ mors Tibi ſola fuit.

Greathead, Coll. Magd. Alumn.

Ad REGINAM.

ANNA diu felix viſa es natoque viroque;
Nunc eadem Natum quæris & Orba Virum.
Penè dolor primi ſed jam ceſſaverat ictûs,
Et bene ſanatum tam grave vulnus erat.
Ecce recrudeſcit ſolitis cruciatibus Ulcus,
Inque novo rediit Cura dolore vetus.
Ah! revocare velis ſolamina prima; malumque
Queis illud tuleras, hoc quoque diſce pati.
Sis EADEM SEMPER; ſis, ANNA, per omnia victrix,
Sis, O! ſis Victrix, quæ potes una, Tuî.

Radulphus Feltham, Socio-Com. Trin. Coll.

Ad REGINAM.

ASPICIS ut læto niteat *Brittannia* vultu,
Dum tuus aſſiduis fletibus, ANNA, madet?
O Princeps alma ignoſcas! haud illa rebellis
Lætitia eſt; lacrymis convenit illa tuis.
Tu ploras Sponſum, victo *Brittannia* gaudet
Gallo; tu ploras, gaudet & illa pie.
O! quam unum diverſa ſonant: Quam gaudia pura
Cum puris lacrymis conſociata nitent!
Sic ſæpe effuſo lacrymoſis nubibus imbri
Oppoſitus læto lumine, *Phœbe*, micas.
Nunc faciles in vota licet promittere Divos:
Monſtratur pulchrâ hâc Iride clara Dies.

Theoph. Shelton, Aul. Clar. Alumn.

DUM

DUM lecto aſtaret moribundi Conjugis ANNA;
Et pariter lacrymas funderet atque preces;
Suſtulit ille ſuos, viſiſque gementis ocellis,
Edidit hos, anima deficiente, ſonos.
'Parce tuis ultra, Conjux dilecta, querelis,
Et cœlum & ſurdos ſolicitare Deos.
'Si lacrymæ atque preces potuerunt Fata movere,
Et lacrymæ atque preces hoc potuere Tuæ.
'At quoniam viſum eſt ſuperis hoc, ANNA, negare;
(Fas aliquid Superis, ANNA, negare Tibi.)
'Crudeles gemitus & inanem comprime luctum,
Qui mihi non proſunt, & tibi, Cara, nocent.
'Vive, vale; quoniamque meæ jam nulla ſalutis
Spes datur, O! tandem ſit Tibi cura Tuæ.
'Juncta ſimul Populi ſunt hæc & vota Mariti,
Nec, puto, vis illi ſurda, nec eſſe Mihi.
'Sic mihi Mors levior, ſic Vita optatior Illis,
Dum fuero hac noſtri parte ſuperſtes, erit.

Edw. Boughton, Socio-Com. Trin. Coll.
Filius natu maximus *Gul. Boughton*, Baronetti,
de *Lawford* in Com *Warw.*

Ad REGINAM.

PARCE Tibi, *Cytherea*; ferum decet iſte Tyrannum
Iſte dolor, cui regna novo nutantia ferro
Jam cedunt Domino: Tua, Te, Natura Triumphis
Æqualem genuit; lætos Fortuna per annos,
Marlburio Ductore, dedit pia tempora lauro
Cingere perpetuâ: Nunc O! quid mœſta Cupreſſus
Fronte ſedet, vultuſque latet ſub nube Serenus?
Vidimus heu! Thalamos deſertos conjuge ſacros;
Vidimus, ille pius cum figeret oſcula Princeps
Ultima jam moriens; circum cariſſima colla
Cum daret amplexus triſtes; cum tardior ANNAM
Linqueret, & Superum ſedes vix lætus adiret.
Vidimus; atque vices miſeras ploravimus omnes;
Quid tamen aut gemitus poſſunt, aut mille querelæ?
Sat lacrymis curiſque datum: mortalibus omne
Fit mortale bonum; grave queis accedit & illud,

Carior ut ſi qua eſt, brevior foret inde, voluptas.
Conjuge ſi fatis rapto quis parvulus Aula
Luderet *Æneas*, inquis, Genitoris Imago,
'Infelix forſan, ſed non viduata viderer.
'O! quam te memorem gremio divulſe fovente
'Matris, IULE, piæ! potuit committere tantum
'Quid meus? ut miſere vitam finiret inertem,
'Imperii, nec dum Juvenis guſtârat honorem.
Solve tamen, *Cytherea*, metus; ſis Conjugis orba
Sis ſpoliata licet natis, Tu ſola Triumphans
Omnia fœmineum ſparges per ſecula nomen.
Non thalamos unquam conjux aſcendit ELISÆ,
Non habuit Socium Sceptri, tamen improba Marte
Virginis agnorunt vires *Hiſpanica* regna.
Clarior ANNA micat velut inter luna minores
Stellarum flammas; longe ſupereminet omnes
Terrarum Dominos, ſupplex Quam victa ſalutat
Gallia victricem, jam dedignata Tyrannum.

Theod. Waterland, A. M. Aul. Clar. Soc.

LUGENT *Oceanus* Pater, & *Nereides* omnes,
Luget disjectis Terra *Britanna* comis.
Non habet Oceanus liquidis qui regnet in undis,
Conſortem Regni non habet ANNA ſui.
Quis vacuo *Gallos* pelago jam ſiſtet ovantes?
Quis tanti imperii participabit onus?
ANNA, Virum invenies pelago dare jura peritum;
ANNA, Ipſa Imperii ſola ſubibis onus.
Jam liquido videat *Lodoix* quid Fœmina poſſit,
Quid poſſit propriis Fœmina conſiliis;
Fœmina quæ nulli ſuccumbat fracta dolori,
Et regni & luctûs pondere preſſa ſimul.
Jam tua mirari ceſſet victricia ſigna;
En! animi victrix ſemper es Ipſa tui.
Ne vero incipiant facilem ſperare ſalutem
Læti hoſtes viduis viribus *Angligenûm*.
Scilicet undarum curam nunquam Ille remittet,
Jam Numen claſſi ſemper adeſſe memor;
Dilectæ uxoris veterem nec ponet amorem,
Conciliis præſens jam Deus, ANNA, tuis.

Sic

Sic gaudet *Britonum* Pubes terrâque marique
  Arma jubente ANNA ferre, probante Deo.
Talibus auſpiciis *Bavarûm* violentia fracta
  Cedet, cumque ſuis *Gallia* victa dolis.
Sera modo ad Superos abeas, Regina, vocantes,
  In terris patiens ſola præeſſe diu.

Edvardus Edlin, A. M. Coll. Regal. Socius.

ERGONE perpetuam noctem plorare GEORGI
  Improba fata jubent! numeros huc ferte *Camenæ*
Triſtitiæ plenos: ingens patet area luctus.
  Nulli fas duras fati conſtringere leges,
Immitis nulli capiti *Proſerpina* parcit:
Tu tamen ah! citius Princeps deſcendis ad umbras,
ELYSIORUM umbras nemorum, cœtuſque verendos.
Illic ſceptrigeri Fratris datur ora tueri,
Quem tua ſuſtinuit virtus jam jamque cadentem,
Atque alas fati celeres tardavit: at O! quis,
Quis potuit tua vel tantillum ſiſtere fata?
Fruſtra Te Populus, fruſtra cariſſima Conjux
Detinuiſſe velit, Cui Tu modo ſola voluptas,
Nunc dolor infanduſque, atque illætabile nomen.
O ſi divino de pectore funderet *Orpheus*
Carmina, quæ luctus conſolarentur amaros
Reginæ, prope jam ſolatia nulla ferentis.
Sic *Thetis* ægra ſuum lugebat *Pelea*, circum
Cæruleæ flevere Deæ; at *Thetis* ipſa, Deæque
Non *Ditis* potuere immitia flectere jura.
Non nunc ſceptra juvat tenuiſſe *Britannica*, fortem
Non populum rexiſſe, & amantem juſſa Magiſtræ,
Non fractæ *Gallorum* acies, non Gloria Palmæ,
Illa licet tulerit ſuprema ad ſidera famam.
Nunc, *Lodoix*, gaudere tuum eſt, hanc, ſæve, videre
Jam poteris, per quam doluiſti ſæpe, dolentem.
  Hæc ſunt dura nimis, vix hæc toleranda: quid autem
Ingratus, Regina, dolor valet? excute mœſtos
Luctus; nec tantas inter, Patientia deſit,
Virtutes, quibus ornâſti Præclara *Britannos*,
Et longum (ſperamus) es ornatura per ævum.

Car. Hawtrey, Coll. Regal. Alumn.

EPICEDIUM.

PORCIA laudatur quod, caro orbata marito,
Ardentes avido ſorbuit ore faces:
Quantum *Romanæ* præſtas *Brittanica* Conjux?
Laus Tibi major erit, quod ſupereſſe velis.
Illa ſuum, in ſponſum Moriendo probavit amorem;
At tuus in Vitâ eſt ſat patefactus amor.
Nocte ruis mediâ, ſtratis, Regina, relictis,
Ægroto tanquam fida miniſtra Viro.
Nec tibi cura minor Sponſo dum ſedula ſervis,
Quam populum imperiis dum regis, ANNA, tuis.
Nunc medicos urges, Nunc imo à pectore fundis,
Flectere quæ Cœlum commeruere, preces.
Obſtant fata tamen; Nihil arte *Machaones*, Ipſum
Nunc Cœlum orantem Te nihil, ANNA, juvat:
At juvat abrepto, damnum perferre, Marito,
Et Tibi ſi dederit vulnera, monſtrat opem;
Et monet hoc; animæ quoniam pars altera rapta eſt,
Altera, quæ remanet ſit pretioſa magis.

Oliver St. John, Coll. Trin. Socio-Commenſ.

Ad REGINAM.

ALMA iterum *Venus* exſtinctum deplorat *Adonin*;
Atque iterum in lacrimas cogitur ire novas.
Multa gemens, magnoque animum labefacta dolore
Mœret: & amiſſum poſſe redire cupit.
Vana petis; ſcirent duri ſi parcere Manes,
Crediderim veſtras tum valuiſſe preces.
Flere nefas: Quid enim ulterius lugemus ademtum,
Cum præſtare vicem *Cæſaris* Ipſa potes?

Tho. Banfeild, Aul. Pemb. Alumn.

CUR gemitus fundit tantos Academia? Regna
Cur tria perpetuis fletibus ora rigant?
Nil mirum; quis enim poterit frænare dolorem?
Cum Princeps obiit Tantus, & ANNA dolet.

Tim. Bedford, Aul. Pemb. Alumn.

Πεὸς

Πρὸς τὴν ΒΑΣΙΛΙΣΣΑΝ.

ΡΩΜΑΙΟΙΣΙΝ, Ἄναστα, πάλαι πεπυκασμένος ὄζοις
Νικήτωρ δάφνης ἱερὸν ἀν' ἀταρπὸν ἔλασσεν
Νισαίοις ἵπποισι μετήορος· ἐν δὲ καὶ αὐτοῖς
Ἄρμασι παρβέβαέν τις ἀνὴρ δήμοιο πεφυκώς,
Ὅς θ' ὑπερηφανίης ῥιζώματα πάντ' ἀποκέρσῃ,
Καὶ τὸ Τύχης κύκλωμα πανάσσαλον αἰὲν ἐνίσσοι.
Καὶ σὺ, φίλη Βασίλεια, τόσοις τεθαλυῖα θεμέλιοις,
Ῥωμαίων Ὑπάτων ὕπερ θ' ὑπερέχεο πάντων,
Ἄνεχε νῦν βαιοῖσι καθάπλοις ἐπέεσσιν,
Ὡς βεβτέης ζωῆς μορφώματα πολλὰ τελεῦντ),
Καὶ θεόν ἄσαλός ἐσσι Παχθονίων Βασιλήων·
Ἐθλὰ δὲ πάντα κακοῖσι μεμιγμένα, καὶ τὰ τερπαῖα
Τῆς Νίκης, ὀδύνῃσι πεπαρμένα, κλαυσιγέλωτα.
Τοὔνεκα καὶ Θεὸς αὐτὸς, ὑπὲρ σέο θαύματα ῥέξας,
Πήματι τῷδ' ἰδίῳ ἀντεσταθμήσατο νίκας
Τοσσατίας· ἵνα μηκέτ', ἐνὶ θνητοῖσιν ἐοῦσα,
Ἴσα θεῷ φρονέῃς, κεἰ δ' αὐτῆς σεῖο λάθηαι.
Παύεο, Ἀντιάνειρα, θεῶν εἰμαρμένα κινεῖν·
Μηδὲ σὺ τήκεο, δάκρυ τ' ἀνάσχης ἀντία λείβε·
Οὐ θάνεν, ἀλλ' ἔπι σὸς ζώων ὤφελεν ἀκοίτης.
Εἰ δὲ θάνεν, θανάτοιο ἔχει νῦν ἄμμορον ἕδρην·
Θρηνεῖν δ' οὐκ ὀσίη, ὅς δίζυγος ἔλλαχε ζωῆς,
Ψυχὴ ἐς οὐρανὸν ἦλθ', ἦτ' οὐρανῷ ἦεν ὁπορρώξ,
Δόξης καὶ κλυτὸν ὄνομ' ὀχθήμενον ἅρμασι λαμπροῖς
Πάντα διέδραμε κόσμον· ὑπὲρ δ' ἄστρων ἐβεβήκει.
Τῷδ' αὖ καὶ μέγα ἄλλο θεώτερον, ὧδε λέλειπτ),
Τῷ γὰ ψυχῆς πόσον ἔφυς μέγα, ὦ Βασίλεια;
Τοὔνεκα καὶ σὺ σεαυτὸν ἀναλγήτῳ τινὶ φίλτρῳ
Ἀμπέτασον, θρήνοιο ἀμειψαμένη κρυεροῖο,
Σοῖς τε φάεινε φίλοισι, καὶ ἐμβείμησον ἅμ' ἐχθροῖς.
Σεῦ ψυχεῦ ἱερεῦ πλείοις γυμνάσασθ' ἀέθλοις
Τοπεῖν, ὅς ἐν θώκοισί σ' ἐπεσήιξε πατρῴοις·
Συχνὰ δ' ὑπερθέκε' ὑπί σοι περόεντα βέλεμνα
Παιδολέτειρα Τύχη· νῦν ὕσσον αὐτὸν ἀκοίτευ
Βάλλε χαμαί· Σὺ δὲ καὶ τόδ', ἐπεὶ πρότερ' ἄλγε' ἐνίκας,

EPICEDIUM

Νίκησον μὴ ἄχθ, ἡ ἄμπνευσον κακότητι.
Ἤδη πᾶσαν ἐλιὼ ἅμα δ' ἐξεκένωσε φαρέτρην
Δαωλῆτίς τι Μοῖρα· σέθεν δ' ὑπερέχεθε χεῖρα
Οὐρανιδέων Βασιλῆς, Θεὸς ἄφθιτθ, αἰθέρι ναίων.
Ἀλλὰ σὺ χαῖρε, Ἄνασσα, Θεῷ πεφιλημένη ΑΝΝΗ,
Μηδ' ἔπι σεῦ γ' ἀνδρὸς μιμνήσκεο· φείδεο σαυτῆς,
Φείδεο σῶν λαῶν, συνοδυρομένοιό τε κόσμου.
Σοῖς δ' ὤμοις ἐπικέκλιθ' ὅλη Βρεττανιὰς αἶα,
Τρεῖς στέφανοί σ' ὀρόωσιν, ἓν' ἐν δεσμῷ πλεχθέντες·
Σὸν ποθέουσ' ἀκτῖνα, φαεινότερον πυρὸς αὐγῆς,
Μὴ δακρύων χυδὶ ὄμβρῳ ἀμαλδύνωσιν ὀπωπάς.
Οὐδὲ Σοὶ ἐλπὶς ὀλωλ'· ἔτι γὰρ θρέψειν ἀγαυὸς
Μαρλβόριθ, τὸ ἄεθλα μεθημοσύνῃσι πότ' ἔτευξαν
Σῷ Ἥρωϊ, τὸν οἶκοι ἔχειν, Σύγ' ἐβούλεο μᾶλλον·
Καὶ πλεῖ θαυμανέειν, ὃ δὲν πλέον ἔλλιπε Δανῷ.
Οὐρανὸν ὡς ὅτ' ἔρεισε μέγα σθένθ Ἀλκείδαο,
Ἀσπασίως τείλισον ἐπαύσαθ ὕχολθ Ἄτλας
Θαυμάζων ἵσας τὲ βραχίονας, ὠρέας ὤμους,
Αὐχένα τὲ σιβαρόν· ἔγνω δέ θ' ἑαυτὸν ἐν ἀσπῷ·
Εἶξον δ' εὐχωλῆσιν, ἀνίκητθ πολέμοισιν,
Εἶξον τῆσι λιτῆσιν Ὁμηγύρεως θεοσέπτου,
Ἧς ὄπῳ πειν ἔτρεψας ἀπ' ὄασα τῶν λιβανειῶν·
Εἶκε, Θεὰ, τῇ πάντ' οἶδ' εἰκέμεν· εἶκέ σοι αὐτὸς
Μαρλβόριθ· τῷ πάντα φιλεῖ χωρεῖν τε ἠ εἴκειν,
Νησαίη τὲ πόλις, φύσεως ὀχυρώμασι δεινοῖς,
Καὶ τέχνης ἀραρυῖα, ἵν' ἄῤῥηκτθ πόλις εἴη,
Καὶ Σκάλδεως ποταμῷ μέγα χωομένοιο ῥέεθρα·
Ὡς ὄφελ' οἱ θρῆνός τε τεὸς ἠ δάκρυα εἴκειν.
Τῷ κεν δὸς σὺ, Ἄνασσα, ἀέθλια πάντα κεραίσειν·
Παντκρατέτωρ, ὃς σάς τ' ὀδύνας ἠ πένθεα νικᾷ.
Δάκρυα νῦν ἠ κωκυτὸς ἀποδύσεο πάντας,
Χάρματά θ', οἷα φίλοισι δίδως, ἀναδέχνυσο αὐτὴ,
Μαρλβοείῳ ᾧ τεῷ σὸν ὅλον δὸς, Δῖα, κεραυνόν·
Ὡς θρήνυς τὲ γόους τὲ ἀνὰ Φεαλκωίδα γαῖαν
Καχλάζῃ μάλα πᾶσαν· ἀταὰρ δολόεντα Τύραννον
Ὅς κόσμον ῥ' ἐκάκωσε, κακαῖς ὀδυνῇσι πελάζῃ.

J. Wasse, S. T. B. Coll. Regin. Socius.

QUIS-

QUISQUAMNE infernis etiamnum advolvitur aris,
Suſcipit aut ſurdis irrita vota Deis?
Cui tam firma fides, ut non jam credere, caſu
Res hominum cæco, ſollicitetur, agi?
Cum Tibi, Chare GEORGI, æterna obducitur umbra;
Umbraque nos miſeros, Te fugiente, premit.
Non Te ſervavit Virtus, non reppulit ictum
Fulmineum capiti Laurea Sacra tuo.
Credidimus gravidas lacrymis, & cæde pharetras
Exhauſtas olim morte, GLOVERNE, tuâ.
At miſeros eluſit inexorabile Fatum,
Una & Nos, & Spes obruit Urna ſimul.
Tu tamen, ANNA, pio parce indulgere dolori,
Parce Tuos lacrymis exanimare tuis.
Nec ſperes *Lodoix* renovari hâc clade tropæa?
Nec fore firma magis Sceptra, *Philippe*, putes.
Ut Leo venantûm percuſſus vulnere ſævit
Acrius, & rabido diſſipat ore canes;
Sic Virtus accenſa malis violentior ardet
Brittania; atque acuit percitus arma dolor.
Effuſo, GEORGI pacabis ſanguine Manes,
Inferiaſque Umbris, Perfide *Galle*, dabis.

Steph. Unwin, Coll. Emman. Alumn.

CUM *Parca* nobis, heu! malè creditum
MARCELLUM acerbo funere merſerat,
Puerque vix ortus ſubîſſet
Heſperias properatus undas;
Cum vindicatam liquerat Inſulam
CÆSAR, ſupernis redditus arcibus,
Menſiſque Divorum recumbens
Purpureo bibit ore nectar;
Exhauſit omnes in duplici malo
Olympus iras, diximus; *Atropos*,
Me vate, jam ducet *Britannis*
Secula candidiore fuſo.
Riſit canentem, mox retulit Dea,
'Tractabit *Anglis* belligera manu
'Regina Sceptrum, ter potentem
'Marte ſciens cohibere *Gallum*;

EPICEDIUM

'Clarabit Illam Palma *Ramilliæ*,
'Et gratus urnas tendere liberas
'*Ister*, triumphatuſque *Scaldis*
'En! Dominæ famulatur ANNÆ:
'Sed umbra noctis furva GEORGIUM
'Urgebit olim, gaudia publica
'Luctuſque corrumpet, triumphos
'Principe per medios ademto;
'Heu! quàm frequentes tunc gemitus fluens
'Mœrore lentùm *Thamiſis* audiet?
'Lugebit almum cum Maritum
'ANNA, ſuum Dominumque *Tethys*!
Fuiſſet impar nempe *Britannia*
Tanto dolori, pectora providè
Firmâſſet in casûs acerbos
Ni toties iterata Laurus.

Sam. Drake, A. B. Coll. Div. Johan.

CONJUGIS, ANNA, tui dum fata immitia luges,
Et quereris mœſtos ire, relicta, dies.
Nos dare conamur miſeri ſolatia luctûs,
Et requiem lacrimis carmine ferre brevem.
Sed quæ nos dabimus triſti ſolatia triſtes?
Te mœſtâ, proprium quos nimis urget onus?
Cuique ſuus, dolor ANNA tuus, magis & ſuus eſſet
Cuique, O! ſi poſſet ſic minus eſſe tuus.
Sed nos non unus tantum dolor acriter urit,
Fata viri querimur, Triſtitiamque tuam.
Dum fles ipſa tui fatum crudele Mariti,
Flere jubet lacrymas, ANNA, videre tuas.
Te lacrymante unum miſerabilis Inſula vultum
Induit, & Dominæ luctibus ægra favet.
Non animum toties ducti movêre Triumphi,
Non tot *Malbrovio* parta tropæa Duci.
Demittunt omnes cervicem, ut lilia mœſtum
Pulſata immiti grandinis imbre caput.
At tibi ſi viduâ parvus jam luderet aulâ,
Dilecti referens Principis ora, Puer;
Tum poſſes non omninò deſerta videri,
Noſtraque tentaret pectora cura minor.

Sed

Sed nec Te penitus, quamvis ſine Prole relictam,
Nec te, nec Conjux deſerit, ANNA, tuos:
Nam dudum in cœlis illi fidiſſima claſſi
Stella micat, Præſes cui modo fidus erat.
At quo te meritum, Princeps, donabit honore,
Quâ noſter dignâ laude ſequetur amor?
Aurea temperies morum, placidumque ſereni
Pectoris ingenium, laus tibi ſemper erunt.
Te fortem Campus, Te conſtantemque Senatus,
Curia Te fidum jactat, & Aula pium.
Et tandem excelſas Cœlorum aſcendis in Arces,
Et recubas Superos Indiges inter avos.
At Regina, tuos tandem compeſce dolores,
Luctibus & noſtris eſto medela piis.
Ipſe tuus cupit hoc, omni jam parte Maritus
Felix, ſi premeret te minor, ANNA, dolor.
Nam ſi Te nimium luctus cruciabit iniquus,
Una, æterna tuis nox erit, atra dies.

T. Manningham, A. B. Coll. Regal. Soc.

Ad REGINAM.

CUM tua Progenies fato periiſſet iniquo,
Conſolamen erat Vir tibi, Tuque Viro:
Quæ nunc afflictis quæres Solatia rebus
Orba Viro? Patriæ Mater & Uxor eris.
Quin lacrymas, Regina, tuas abſterge, Senatus
Hoc petit, hoc Proceres, hoc populuſque tuus.
Immodico nam ſi juvet indulgere dolori,
Si vacuum cernas irrequieta Torum;
Sæva recrudeſcent quæ vulnera ſenſimus ægri,
Nec requiem miſeris ulla medela dabit.

Guil. Dyer, Chr. Coll. Socio-Commenſ.

AUDITIS? Aures fulmina perſonant.
Auditis? Arces attigit igneas
Jam *Danus* Heros; jamque Cœli
Inſolito fremuere plauſu.

EPICEDIUM

Nuper *Britannis*, nunc Superis decus
Non uſitatis fulget honoribus;
Interque gaudentes ſupremum
Cœlicolas celebrat Triumphum.
Jam jam Curuli Nube vehens, novus
Accedit Hoſpes Concilio *Jovis*;
Plus parte Menſæ æqua recedunt
Dî, quibus Hic Socius recumbit.
Lucis coruſcæ jam Trabeam induit:
Victa erubeſcunt Sydera fulgure,
Et Nectaris ſuccos bibenti
Stellifero caput orbe cingunt.
En! cerno Magnos *Creſſiacos* Duces,
Heroa Nigrum, *Memnona Brittonum*,
Et laurea inſignem WILHELMUM,
Pacifica CAROLUMque oliva.
Illi requirunt, Anglia quid facit?
Hic geſta narrat *Martia* Conjugis;
Quam magnus *Edvardus* fatetur
Pictavias ſuperaſſe laudes.
Narratque *Gallos*, dum gladios timent,
Fugiſſe ad alti *Danubii* vada;
Vanumque tentantes natatum
Ambiguo periiſſe fato:
Claſſes ut atro fulmine turgidas,
Vidit Triumphantes Medium mare,
Ut igneam plumbi procellam
Attonitæ ſtupuere *Gades*.
Fictique narrat Principis impetus
Non auſpicatos; brutaque fulmina
Falſi *Jovis*; fractamque *Gallo*
Pollicitam meliora Claſſem.
His dum Triumphos Ille refert Tuos;
Cur ANNA miſces diſſona nenias?
Abſint querelæ; nec graveris
Indigitem Superis Maritum.

Dav. Humphrys, Trin. Coll.

CANTABRIGIENSE.

CARMINE quæ digno Vitam Celebrare, GEORGI,
Aut obitum nôrit Docta *Camena* Tuum?
Candores Hominem; Pugilem Vis; Stemmata Regem;
Inclyte, Te pietas faſſa ſuprema Deum eſt.
Anglia nil metuas: *fictus* Pugil exulet Alter
GEORGIUS: En Superis *Verior* alter adeſt.

Franc. Hall. A. B. Coll. Regal. Soc.

VOs ſancti Manes, Animæque Umbræque Piorum,
Ecce parat veſtras Hoſpes inire domos.
Certe humana licet ſi vobis noſcere, vobis
Ignotus Princeps *Danicus* eſſe nequit:
Ille ſuum claris æquans virtutibus ortum,
Ille hominum merito publica cura, nequit.
Qui ſemper vultu effulſit ſine nube ſereno,
Cui mens *Veſtali* purior igne fuit.
Ille ANNAM ſemper conſtanti fovit amore,
ANNA illum ſemper fovit amore pari.
At nunc ingenti mentem percuſſa dolore
Inſolabiliter plorat obîſſe diem;
Incuſat cœlos, & nil miſerantia Fata,
Pro dulci & mallet bis periiſſe Viro.
Non ſic *Halcyone* merſum *Ceyca* profundo,
Non ſic te occiſum flevit, *Adoni*, *Venus*.
Quinetiam *Angligenis* par eſt concordia flendi,
Obſidet & *Britonum* publicus ora dolor.
Non illos (quanquam facilis Victoria ridet,
Te regnis, *Lodoix*, jam metuente tuis)
Dulcia ſecuras in gaudia ſolvere mentes
Tam cari capitis funera acerba ſinunt.
Mitte tamen vanos tandem ægra *Britannia* queſtus,
Neu doleas fatum Conjugis, ANNA, Tui.
Ille Deûm ſedes placidas, tellure relictâ,
Si Virtus Cœlo digna ſit ulla, colit.
Sic rubro *Heſperius* ſe condit in æquore *Phœbus*,
Ut cras illuſtri clarior orbe micet.

Gul. Norton, Coll. Regal. Alumn.

EPICEDIUM.

ΓΙΓΝΟΜΈΝΗ διὰ Ἑλλάδ' ὅλην ασονδῆσιν ἕνωσις
Ὠφελίμω τὲ φίλοις φοβερῶ τ' ἐχθροῖσιν ἔδωκεν
Ἦμφ· ὅταν γὸ ἔθ' Ἑλλάδ' ἐπεύχετο αὐτίκα πέρσειν,
Ἦ Ψ' ἀπενόσησεν μέγα κομψάμφυός πξ ὁ Πέρσης·
Νῦν δ' ἄρα Μοῖρα, βεγτοῖσιν ἀεὶ φιλέυσα ταραίσειν
Πεάγμαλα, ἦ μᾶνόν γε δυνήσαλο, θλίψεν Ἀθήνας.
Εἵλετ' Ἀεισείδω θάναλο, μέγα Ἔρκο Ἀθηνῶν,
Βελδυτῶ τε μέγαν· Θρηνεῖ θρήνοισι θανόντα
Ἡ Πόλις· ὲ παῦροι θρωῶσ', αἰνῶσι ὃ πάντες,
Οὐ διά τ' ἔργον Ἄρηο, Ἄρηϊ Μέγαν πὲρ ἐόντα,
Οὐ μὰ, ἀτὰρ διὰ τῶ τε δίκω μῆτίν τε μεγίσην.
Ἄξιο ἦν Πρῶτο τελέθειν, ἄρχειν τὲ Θαλάσης.
Τῶ Πρωτόνοο ωερό τ' ἄρ' Ἑλλάδο ἦσαν Ἀθωῦαι,
Καὶ κάκα πολλὰ Μόνο γ' ἠμύναλο Πατείδο ἄιης.
Ὡς ποιήσαλο πάντα, λαθὼν ποιήσατο πάντα·
Τῇ ἐπιεικείᾳ τόσον κερδήσατο λαὸν,
Ὡς ὲ θαυμάζειν, εἰ δακρυχέυσιν Ἀθωῦαι,
Αὐτῶ λοθνήϛκοντο· ἐὸν θρήνοιϛιν ἔρωτα
Δεικνῦσ', ἥντ' εἶχον τίμιον ἐπὶ μνῆμα πιθεῖσιν·
Πῶς δ' ἄρα νῦν κλαύσῃ ἡ ἀθλία αἶα Βρεταννὶς,
Ἡ σοφίᾳ μείζω τὲ καὶ ἀνέρα μείζονα θρηνεῖ,
Τόσον Ἀεισείδε ωεφέχονθ', ὅσον Ἀγλὶς Ἀθηνῶν.

J. Gough, Coll. Trin. Alumn.

Ad REGINAM.

ACCIPE, mœsta Uxor; quâ nec tibi gratior ulla
Vox fuit, & gratus quam meminisse dolor:
Accipe, quæ Musæ possint solatia ferre,
Quæque magis nulli vera tulere rogo.
Si tamen ulla valent, carum referentia nomen,
Non desiderio verba nocere tuo;
Cui nimis ipsa ultro indulges; monimentaque amorum
Sola tibi memori mente priora colis;
Mitte animo, jam mitte, Piis & qualis ab Armis
In Thalamos primum venerit ille tuos.
Et quæ integra imum tentarent gaudia pectus,
Quum risit fausti sæpe puerperiis.

Et

Et fauſta heu! penitus dederant modo fata fuiſſe;
Reſtaret modo ſi Spes Puer Ille domûs:
Heu! miſeranda Parens, Nemon' Tibi Surculus ergo!
Qui referens Patrem non periiſſe ſinat.
Heu! miſeranda Parens; at dum ſtetit Ipſe, neque iſthæc
Nec graviora tamen, dura fuere diu.
Dum ſtetit Ipſe, pio fecit conjunctus amore,
Sentires minus ut triſtia, læta magis.
Quin age, ſi Tibi ſit ſolamen, Damna *Britannus*
Quod Tua jam populus ſenſerit eſſe ſua;
Hoc reliquos ſemper memorabitur inter honores,
Te, poterit quæ vix fœmina, rite pati.

Hen. Pelham, Coll. Regal. Commenſ. ad Menſ. Socior.

ΩΙΔΑΡΙΟΝ ΓΟΕΡΟΝ.

Αἰδὴ, γελωῖσ ἐχθρὲ,
Ὅς νεοτέρων ἀνάσσεις
Χώροισιν εἰν ἀτέρποις;
Τί σοῖς βέλεσιν Ἄννης
Τὴν καρδίην ἔτρωσας;
Καλῶς σε φασὶ πάντες
Σκληρόν τε, καὶ ἀπλωῆ.

Σὺ Κύπριδος Σύνευνον
Ἀφήρπασας κομῶντα·
Σὺ καλὸν οὐκ ἔλυσας
Τιθωνὸν ἐκ τάφοιο,
Γυναμφὴς Δάμαρτος·
Ἀθυρμά σοι δοκεῖ τι
Χηρόμμφαι Θεαίνας.

Car. Tremayne, Aul. Pemb. Alumn.

Ad REGINAM.

Occubuit Princeps Genio bene notus & Armis,
Deliciæ populi, Gloria conjugii.
Fruſtra nec queritor Medicos, ſtudium quibus unum
Morbos, non Mortem, pellere ſemper erat;
Nec queritor *Fixum* vel *Ineluctabile Fatum*,
Nempe hæc indoctum dicere Vulgus amat.
Nec nimium, Regina, tuo ſuccumbe dolori,
Aſt immortales erige nunc Animos.
Nam damnum levat invictis *Marlburius* Armis,
Et nos, quam firmas, *Unio* læta beat.

Chr. Green, Med. Prof. Reg.

Ad *LIBRUM.*

EUGE Liber, variam varius qui tendis in Aulam,
Gratus eris *Lacrymans*, Gratior ibis *Ovans*.
Quin propera, ne non numeret tot Pagina versus,
Quot nova dat Titulos Laurea *Marlburio*.

PROCANCELLARIUS.

ERRATA CORRIGENDA.

IN Scheda notata I. pag. 2. lin. 33. lege *perenni*. In K. pag. 4. lin. 6. lege *omina*. In L. pag. 1. dele *duas priores lineas*. In P. pag. 2. lin. 27. lege *quem*. In R. pag. 2. lin. 29. lege *faces*. In T. pag. 2. lin. 25. lege *Veſtemonaſterî*. In C c. pag. 4. lin. 20. *pro illuſtrem* lege *quietum*.

1641. 9. 43.